Et projiciam ſuper te abominationes (*ſuas*) & contumeliis te afficiam, & ponam te in Exemplum. *Nahum* 3. 6

*Matthatias moriturus, proponit plurima Exempla Sanctorum, ad imitandum.* 1. *Mac.* 2. 49

Et civitates Sodomorum & Gomorrhæorum in cinerem redigens, everſione damnavit: Exemplum eorum, qui impie acturi ſunt, ponens. 2. *Pet.* 2. 6. Gen. 19. 25

Sicut Sodoma & Gomorrha & finitimæ civitates ſimili modo exſornicatæ, & abeuntes poſt carnem alteram, factæ ſunt Exemplum, ignis æterni pœnam ſuſtinentes. *Judæ* 1. 7

## TITULUS XVIII.

*Exſequiæ celebrantur.*

VEnitque Abraham, ut plangeret & fleret eam (*Saram*) Cumque ſurrexiſſet ab officio funeris, &c. *Gen.* 23. 2

Veneruntque ad Arcam ... ubi celebrantes exequias planctu magno, atque vehementi, impleverunt ſeptem dies, &c. *Ibid.* 50. 10

Fleverunt eum filii Iſrael - - - triginta diebus: & completi ſunt dies planctus, lugentium Moyſen. *Deut.* 34. 8

Dixit autem David ad Joab, & omnem populum &c. Scindite veſtimenta veſtra - - - & plangite ante exſequias Abner: porro rex ſequebatur feretrum. 2. *Reg.* 3. 31. *Vide verſus ſequentes.*

## TITULUS XIX.

*Exercitium. Vide & Labor.*

QUi operatur terram ſuam, ſatiabitur panibus. *Prov.* 12. 11. Eccli. 20. 30

Quodcumque facere poteſt manus tua, inſtanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia erunt apud inferos, quo tu properas. *Eccleſ.* 9. 10

## TITULUS XX.

*Experientia laudabilis.*

VIr in multis expertus, cogitabit multa: & qui multa didicit, enarrabit intellectum. *Ibid.* 34. 9

Qui non eſt expertus, pauca recognoſcit. *Ibid.* v. 10

*Explicatio Sacræ Scripturæ. Vide Sacra Scriptura.*

# F

## TITULUS I.

*Facere, pro ſacrificare in ſcripturis.*

QUi faciet unum pro peccato, & alterum in holocauſtum: rogabitque pro eo coram Domino, ut emundetur a fluxu ſeminis ſui. *Lev.* 15. 15. *Idem* v. 30

Facietque Sacerdos unum pro peccato, & alterum in holocauſtum, & deprecabitur pro eo, quia peccavit ſuper mortuo. *Num.* 6. 11. Quæ offeret Sacerdos coram Domino, & faciet tam pro peccato, quam in holocauſtum. Ib. v. 16.

Levitæ quoque ponent manus ſuas ſuper capita boum, e quibus unum facies pro peccato, & alterum in holocauſtum Domini, ut depreceris pro eis. *Ibid.* 8. 12

Faciant filii Iſrael Phaſe in tempore ſuo. *Ibid.* 9. 2. Præcepitque Moyſes filiis Iſrael, ut facerent Phaſe. v. 4. Homo qui fuerit immundus ſuper anima, ſive in via procul in gente veſtra, faciat Phaſe Domino, &c. v. 10. Peregrinus quoque & advena ſi fuerint apud vos, faciant Phaſe Domino juxta cæremonias & juſtificationes ejus. v. 14

Si autem vis holocauſtum facere, offer illud Domino. *Judic.* 13. 16

Hoc facite in meam commemorationem. *Luc.* 22. 19. 1. Cor. 11. 24

*Fallacia mulierum. Vide Mulierum Fallacia.*

## TITULUS II.

*Fama.*

*Fama bona præſtantior divitiis.*

FUit ergo Dominus cum Joſue, & nomen ejus vulgatum eſt in omni terra. *Joſue* 6. 27

Major eſt ſapientia, & opera tua, quam rumor, quem audivi. Beati viri tui, & beati ſervi tui, qui ſtant coram te ſemper, &c. 3. *Reg.* 10. 7

Et hæc erat (*Judith*) in omnibus famoſiſſima, quoniam timebat Dominum valde; nec erat qui loqueretur de illa verbum malum. *Judith* 8. 8

Melius eſt nomen bonum, quam divitiæ multæ: ſuper argentum & aurum, gratia bona. *Prov.* 22. 1

Melius eſt nomen bonum, quam unguenta pretioſa, & dies mortis, die nativitatis. *Eccleſ.* 7. 2

Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quam mille theſauri pretioſi



& magni. Bonæ vitæ numerus dierum: bonum autem nomen permanebit in ævum. *Eccli.* 41. 15

Quæcumque (*ſunt*) bonæ famæ (*ſectamini.*) *Philip.* 4. 8

Oportet autem illum (*Epiſcopum*) & teſtimonium habere bonum ab iis, qui foris ſunt, ut non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli. 1. *Tim.* 3. 7

*Diligenter conſervando.*

IN omnibus operibus tuis præcellens eſto. Ne dederis maculam in gloria tua. *Eccli.* 33. 23.

Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quam mille theſauri pretioſi & magni. Bonæ vitæ numerus dierum: bonum autem nomen permanebit in ævum. *Ibid.* 41. 15

*Fama mala.*

NE dederis maculam in gloria tua; *ſive ne imprimas famæ tuæ maculam.* Eccli. 33. 23

Nolite filii mei; non enim eſt bona fama, quam ego audio, ut tranſgredi faciatis populum Domini. 1. *Reg.* 2. 24

## TITULUS III.

*Fames & annonæ caritas annumerantur inter mala pœnæ.*

FActa eſt autem fames in terra (*Haran*): deſcenditque Abraham in Ægyptum, ut peregrinaretur ibi: prævaluerat enim fames in terra. *Gen.* 12. 10

Orta autem fame ſuper terram, poſt eam ſterilitatem, quæ acciderat in diebus Abraham, &c. *Ibid.* 26. 1

*Somnia Pharaonis de bobus & ſpicis unicus Joſeph interpretatus, toti Ægypto præficitur, & ex Aſeneth data ſibi a Pharaone uxore, duos ſuſtulit filios ante ſeptem annos. Ibid.* 41

*Cogente fame ægre impetrarunt fratres Joſeph a patre, ut in Ægyptum revertentes cum muneribus, ac duplici pecunia, Benjamin ſecum ducerent, qui educto Simeone de carcere ſimul epulati ſunt cum Joſeph. Ibid.* 42. Cap. 43. 44. 45

*Fames tantum premit Ægyptum, ut venditis pecoribus terram quoque vendere ſint coacti: quo factum eſt, ut quinta pars frugum regibus Ægypti perpetuo cedat, præterquam in poſſeſſionibus Sacerdotum. Ib.* 47

Dixerunt filii Iſrael ad eos (*Moyſen & Aaron*) Utinam mortui eſſemus per manum Domini in terra Ægypti, quando ſedebamus ſuper ollas carnium, & comedebamus panem in ſaturitate: cur eduxiſtis nos in deſertum iſtud, ut occideretis omnem multitudinem fame? *Exod.* 16. 3

Conſumentur fame, & devorabunt eos aves morſu amariſſimo: dentes beſtiarum immittam in eos, cum furore trahentium ſuper terram, atque ſerpentium. *Deut.* 32. 22

*Elimelech Bethleemita præ nimia fame cum uxore Noemi, ac filiis in Moab concedit, ibique moritur. Ruth.* c. 1

*Immiſſa propter Saulis in Gabaonitas peccatum fame triennii, ad illorum petitionem David reliquias Saulis præter Miphiboſeth tradidit, ut crucifigerentur, &c.* 2. *Reg.* 21

Cumque veniſſet Gad ad David, nuntiavit ei, dicens: Aut ſeptem annis veniet tibi fames in terra tua: aut tribus menſibus fugies adverſarios tuos, & illi te perſequentur: aut certe tribus diebus erit peſtilentia in terra tua. Nunc ergo delibera, & vide quem reſpondeam, ei qui me miſit, ſermonem. Dixit autem David ad Gad: Coarctor nimis; ſed melius eſt ut incidam in manus Domini (multæ enim miſericordiæ ejus ſunt) quam in manus hominum. Immiſitque Dominus peſtilentiam in Iſrael, de mane uſque ad tempus conſtitutum, & mortui ſunt ex populo a Dan uſque ad Berſabee ſeptuaginta millia virorum. *Ibid.* 24. 13

Fames, ſi oborta fuerit in terra, aut peſtilentia, aut corruptus aer, aut ærugo, aut locuſta, vel rubigo, & afflixerit eum inimicus ejus, portas obſidens, omnis plaga, univerſa infirmitas, cuncta devoratio, & imprecatio, quæ acciderat omni homini de populo tuo Iſrael: ſi quis cognoverit plagam cordis ſui, & expanderit manus ſuas in domo hac, tu exaudies in cælo in loco habitationis tuæ, & repropitiaberis, & facies, ut des unicuique ſecundum omnes vias ſuas, ſicut videris cor ejus (quia tu noſti ſolus cor omnium filiorum hominum) ut timeant te cunctis diebus, quibus vivunt ſuper faciem terræ, quam dediſti patribus noſtris. 3. *Reg.* 8. 37. & Cap. 18. 2

Factaque eſt fames magna in Samaria: & tamdiu obſeſſa eſt, donec venundaretur caput aſini octoginta argenteis, & quarta pars cabi ſtercoris columbarum quinque argenteis. 4. *Reg.* 6. 25.

*Poſt famem ab Eliſeo prædictam Sunamitis, quæ ipſius conſiliis peregrinata erat, reverſa, ſuos agros cum fructibus recuperat.* Eliſeus autem locutus eſt ad mulierem, cujus vivere fecerat filium, dicens: Surge, vade tu, & domus tua, & peregrinare ubicumque repereris: vocavit enim Dominus famem, & veniet ſuper terram ſeptem annis. Cap. 8. v. 1. Cap. 25. 3. cap. 4. 38. 6. 25. 25. 3

Si irruerint ſuper nos mala, gladius judicii, peſtilentia, & fames, ſtabimus coram domo hac in conſpectu tuo, in qua invocatum eſt nomen tuum: & clamabimus ad te in tribulationibus noſtris, & exaudies, ſalvoſque facies. 2. *Paral.* 20. 9. Cap. 6. 28

*In magna fame Nehemias divites avaros increpat, uſuraſque prohibet, ſua indigentibus ſponte elargiens,* 2. *Eſdr.* 5

Non confundentur in tempore malo, in diebus famis ſaturabuntur. *Pſal.* 36. 19.
Non confundentur in tempore malo, in diebus famis ſaturabuntur. *Pſal.* 36. 19.
Propterea captivus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam: & nobiles ejus in-
terierunt fame, & multitudo ejus ſiti exaruit. *Iſa.* 5. 13.
Cum jejunaverint, non exaudiam preces eorum: & ſi obtulerint holocautomata & victimas,
non ſuſcipiam ea: quoniam gladio, & fame, & peſte conſumam eos. *Jere.* 14. 12. & 15. Id-
circo hæc dicit Dominus de Prophetis, qui prophetant in nomine meo, quos ego non miſi,
dicentes: Gladius & fames non erit in terra hac: in gladio & fame conſumentur Prophetæ
illi. Et populi, quibus prophetant, erunt projecti in viis Jeruſalem præ fame & gladio: &
non erit, qui ſepeliat eos; ipſi & uxores eorum, filii & filiæ eorum: & effundam ſuper eos
malum ſuum.
Dices ad eos: Hæc dicit Dominus: Qui ad mortem, ad mortem: & qui ad gladium, ad gla-
dium: & qui ad famem, ad famem: & qui ad captivitatem, ad captivitatem. *Ibid.* 15. 2. *Et*
*Captivos Judæos vaticinatur 70. annis in Babylone permanſuros, hortaturque ut illic multiplicari*
*ſtudeant, & deinde reducentur, eos vero, qui Jeroſolymis remanſerunt, gladio & fame & peſte dicit*
*conſumendos.* Cap. 29. Hæc dicit Dominus exercituum: Ecce mittam in eos gladium, & famem,
& peſtem: & ponam eos quaſi ficus malas, quæ comedi non poſſunt, eo quod peſſima ſint.
Et perſequar eos in gladio, & in fame, & in peſtilentia: & dabo eos in vexationem univer-
ſis regnis terræ: in maledictionem, & in ſtuporem, & in ſibilum, & in opprobrium cunctis
gentibus, ad quas ego ejeci eos: eo quod non audierint verba mea. v. 17.
Propterea hæc dicit Dominus: vos non audiſtis me, ut prædicaretis libertatem unuſquiſque
fratri ſuo, & unuſquiſque amico ſuo: ecce ego prædico vobis libertatem, ait Dominus, ad gla-
dium, ad peſtem, & ad famem: & dabo vos in commotionem cunctis regnis terræ. *Ibid.* 34. 17
Tertia pars tui (*loquitur ad Judæos*) peſte morietur, & fame conſumetur in medio tui: & ter-
tia pars tui in gladio cadet in circuitu tuo: tertiam vero partem tuam in omnem ventum
diſpergam, & gladium evaginabo poſt eos. Et complebo furorem meum, & requiſcere faciam
indignationem meam in eis, & conſolabor: & ſcient, quia ego Dominus locutus ſum in zelo
meo, cum implevero indignationem meam in eis, &c. *Ezech.* 5. 12. Ego Dominus locutus ſum:
quando miſero ſagittas famis peſſimas in eos, quæ erunt mortiferæ, & quas mittam ut diſper-
dam vos: & famem congregabo ſuper vos, & conteram in vobis baculum panis. Et immit-
tam in vos famem, & beſtias peſſimas uſque ad internecionem, & peſtilentia, & ſanguis tran-
ſibunt per te, & gladium inducam ſuper te, ego Dominus locutus ſum. verſ. 16. Cap. 4.
16. 14. 13.
*Propter multiplicem idololatriam filiorum Iſrael, prædicantur eorum urbes & excelſa diſſipanda, &*
*qui peſtem, gladium, & famem evaſerint, diſpergendi in gentes, ubi mala perpeſſi convertentur*
*ad Dominum, dicens. Ibid.* 6. Hæc dicit Dominus Deus: Percute manum tuam, & allide
pedem tuum, & dic: Heu, ad omnes abominationes malorum domus Iſrael: quia gladio, fa-
me, & peſte ruituri ſunt. Qui longe eſt, peſte morietur: qui autem prope, gladio corruet:
& qui relictus fuerit, & obſeſſus, fame morietur: & complebo indignationem meam in eis.
v. 11. *Idem* Amos 4. 6. & Aggæi 1. 6. 10. & Cap. 2. 17. Joel 1.
Conſurget enim gens in gentem, & regnum in regnum, & erunt peſtilentiæ, & fames, &
terræmotus per loca. Hæc autem omnia initia ſunt dolorum. *Matt.* 24. 7
In veritate dico vobis: Multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Iſrael quando clauſum eſt cæ-
lum annis tribus & menſibus ſex, cum facta eſſet fames magna in omni terra: & ad nullam
illarum miſſus eſt Elias, niſi in Sarepta Sidoniæ, ad mulierem viduam. *Luc.* 4. 25
Venit autem fames in univerſam Ægyptum & Chanaan, & tribulatio magna: & non invenie-
bant cibos patres noſtri. *Actor.* 7. 11. Luc. 15. 14
Et ſurgens unus ex eis (*ſcilicet Prophetis venientibus Antiochiam Hieroſolymis*) nomine Agabus,
ſignificabat per Spiritum futuram magnam in univerſo orbe terrarum famem, quæ facta eſt ſub
Claudio. *Ibid.* 11. 28
Quis ergo nos ſeparabit a caritate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas?
an periculum? an perſecutio? an gladius? *Rom.* 8. 35
In præſenti tempore veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat: ut & illorum abundantia
veſtræ inopiæ ſit ſupplementum, ut fiat æqualitas. 2. *Cor.* 8. 14. *Item* Cap. 11. 27. *Paulus de ſedi-*
*cit, quod fuerit* in labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & ſiti, in jejuniis multis, in
frigore & nuditate: præter illa quæ extrinſecus ſunt, &c.
Ideo in una die venient plagæ ejus, mors & luctus, & fames, & igne comburetur: quia
fortis eſt Deus, qui judicabit illam. *Apoc.* 18. 8. Cap. 6. 8.

*Fames Verbi Dei.*

PUer autem Samuel miniſtrabat Domino coram Heli, & ſermo Domini erat pretioſus in die-
bus illis, non erat viſio manifeſta. 1. *Reg.* 3. 1
Tranſibunt autem multi dies in Iſrael abſque Deo vero, & abſque ſacerdote doctore, & abſ-
que lege. 2. *Paral.* 15. v. 3





Dies multos expectabis me: non fornicaberis, & non eris viro: ſed & ego expectabo te:
quia dies multos ſedebunt filii Iſrael ſine Rege, & ſine Principe, & ſine ſacrificio, & ſine al-
tari, & ſine ephod, & ſine theraphim. *Oſee* 3. 3
Audite verbum Domini filii Iſrael, quia judicium Domino cum habitatoribus terræ: non eſt
enim veritas, & non eſt miſericordia, & non eſt ſcientia Dei in terra. *Ibid.* 4. 1
Ecce dies venient, dicit Dominus: & mittam famem in terram: non famem panis, neque ſi-
tim aquæ, ſed audiendi verbum Domini & commovebuntur a mari uſque ad mare, & ab aquilo-
ne uſque ad orientem: circuibunt, quærentes verbum Domini, & non invenient. *Amos* 8. 11

## TITULUS IV.

*Familiaritas honeſta.*

ADvocatus a potentiore diſcede; ex hoc enim magis te advocabit. Ne improbus ſis, ne
impinguaris: & ne longe ſis ab eo, ne eas in oblivionem. *Eccli.* 13. 12

*Inhoneſta.*

SUbtrahe pedem tuum de domo proximi tui, ne quando ſatiatus oderit te. *Prov.* 25. 17
Domum fratris tui ne ingrediaris in die afflictionis tuæ. *Ibid.* 27. 10
Pes fatui facilis in domum proximi: & homo peritus confundetur a perſona potentis. *Eccli.* 21, 25
Stultus a feneſtra reſpiciet in domum: vir autem eruditus foris ſtabit. *Ibid.* v. 26
Stultitia hominis auſcultare per oſtium: & prudens gravabitur contumelia. *Ibid.* v. 27

## TITULUS V.

*Famulorum, Famularumque officium.*

AGar a Domina Sarai traditur Abrahæ uxor, quæ ubi concepiſſet, & ob id Dominum contemne-
ret, ab illa afflicta fugam iniit, ſed juſſu Angeli eidem ſubmiſſa parit Iſmaelem. Dixitque ei
Angelus (*ad Agar*) Domini: Revertere ad Dominam tuam, & humiliare ſub manu illius,
&c. *Gen.* 16.
*Servus Abrahæ ab ipſo adjuratus & in Meſopotamiam, ad quærendam uxorem Iſaac miſſus, ſigno a*
*Domino petito, Rebeccam invenit, & habito parentum ac fratris, ipſiuſque conſenſu adducit ad Iſaac,*
*quam ille duxit in uxorem: & ita ſuper morte matris accipit conſolationem. Ibid.* 24
Da mihi uxores, & liberos meos, pro quibus ſervivi tibi: ut abeam: tu noſti ſervitutem
meam, qua ſervivi tibi. *Ibid.* 30. 25
*Cum proſpere ageret Joſeph apud herum Putipharem, eique gratioſus totam adminiſtraret familiam,*
*contemnens heram ſæpius de concubitu interpellantem, accuſatur apud Dominum & in carcerem conjicitur:*
*ubi cuſtodis gratiam demeretur, a quo omnium vinctorum curam accepit. Gen.* 39
Si emeris ſervum Hebræum, ſex annis ſerviet tibi: in ſeptimo egredietur liber gratis. *Exod.*
21. 2. Qui percuſſerit ſervum ſuum, vel ancillam virga, & mortui fuerint in manibus ejus,
criminis reus erit. Ibid. v. 20. Si percuſſerit quiſpiam oculum ſervi ſui, aut Ancillæ, & luſcos
eos fecerit, dimittet eos liberos, pro oculo quem eruit. Dentem quoque, ſi excuſſerit ſervo
vel ancillæ ſuæ, ſimiliter dimittet eos liberos. Ibid. v. 26. *Vide &* Deut. 15. 12
Non avertas ab eis (*a ſervo & ancilla tua*) oculos tuos, quando dimiſeris eos liberos --- ut
benedicat tibi Dominus Deus tuus. *Deut.* 15. 18. *Vide a v.* 12. *uſque huc.*
*Servus Giezi propter munera mendacio extorta, ſpreta ab Eliſeo hero ſuo, lepra punitur.* 4. *Reg.* 5. 20.
Acceptus eſt — miniſter intelligens. *Prov.* 14. 35
Servo ſenſato liberi ſervient: & vir prudens & diſciplinatus non murmurabit correptus.
*Eccli.* 10. 28
Servus ſapiens dominabitur filiis ſtultis, & inter fratres hereditatem dividet. *Prov.* 17. 2
Non decent ſtultum delitiæ, nec ſervum dominari principibus. *Ibid.* 19. 10
Servus verbis non poteſt erudiri: quia quod dicis, intelligit, & reſpondere contemnit. *Ib.* 29. 19
Cunctis ſermonibus, qui dicuntur, ne accommodes cor tuum: ne forte audias ſervum tuum
maledicentem tibi. *Eccleſ.* 7. 30. Ne ſis velox ad iraſcendum, quia ira in ſinu ſtulti requie-
ſcit. Ibid. v. 10. Jerem. 34. 8. & Joel. 2. 29
*Rex & populus traduntur in manus hoſtium, eo quod ſervos & ancillas non tractaverunt juxta fœdus*
*cum Domino. Jerem.* 34. 8
Beati ſervi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes. Amen dico vobis, quod
præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis. *Luc.* 12. 37. Beatus il-
le ſervus, quem cum venerit Dominus, invenerit ita facientem. Ibid. v. 43
Pulſante autem eo oſtium januæ, proceſſit puella ad videndum, nomine Rhode. Et ut co-
gnovit vocem Petri, præ gaudio non aperuit januam, ſed intro currens nuntiavit ſtare Petrum
ante januam. *Actor.* 12. 13
Servus vocatus es? non ſit tibi curæ; ſed & ſi potes fieri liber, magis utere. Qui enim in
Domino vocatus eſt ſervus, libertus eſt Domini, ſimiliter qui liber vocatus eſt, ſervus eſt
Chriſti. 1. *Cor.* 7. 21

Servi obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore, in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto: non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes; ſed ut ſervi Chriſti, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate ſervientes, ſicut Domino, & non hominibus: ſcientes quoniam unuſquiſque, quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, ſive ſervus, ſive liber. Et vos Domini eadem facite illis, remittentes minas, ſcientes quia & illorum, & veſter Dominus eſt in cælis: & perſonarum acceptio non eſt apud eum. *ad Epheſ. 6. 5 Idem* ad Coloſſ. 3. 22

Quicumque ſunt ſub jugo ſervi, Dominos ſuos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini & doctrina blaſphemetur. 1. *Tim.* 6. 1

Servos Dominis ſubditos eſſe, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, ſed in omnibus fidem bonam oſtendentes: ut doctrinam Salvatoris noſtri Dei ornent in omnibus. *ad Titum* 2. 9

Servi ſubditi eſtote in omni timore Dominis, non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam dyſcolis. 1. *Petr.* 2. 18.

## TITULUS VI.

### *Fermentum, mala doctrina.*

OMnis oblatio, quæ offertur Domino, abſque fermento fiet, nec quidquam fermenti ac mellis adolebitur in ſacrificio Domini. *Lev.* 2. 11

Reliquam autem partem Similæ comedet Aaron cum filiis ſuis, abſque fermento: & comedet in loco ſancto atrii tabernaculi. *Ibid.* 6. 16

Non comedes in eo panem fermentatum: ſeptem diebus comedes abſque fermento, afflictionis panem, quoniam in pavore egreſſus es de Ægypto: ut memineris diei egreſſionis tuæ de Ægypto, omnibus diebus vitæ tuæ. *Deut.* 16. 3. Exod. 12. 19

Qui dixit illis (*Jeſus*): Intuemini, & cavete a fermento Phariſæorum, & Saducæorum. *Matth.* 16. 6

Et præcipiebat eis (*Jeſus*) dicens: Videte, & cavete a fermento Phariſæorum, & a fermento Herodis. *Marc.* 8. 15

Multis autem turbis circumſtantibus, ita ut ſe invicem conculcarent, cœpit dicere ad diſcipulos ſuos: Attendite a fermento Phariſæorum, quod eſt hypocryſis. Nihil autem opertum eſt, quod non reveletur: neque abſconditum, quod non ſciatur. *Luc.* 12. 1

Neſcitis, quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit? Expurgate vetus fermentum, ut ſitis nova conſperſio, ſicut eſtis azymi. 1. *Cor.* 5. 6. *Idem verbatim fere habetur ad* Galat. 5. 9

## TITULUS VII.

### *Feſtum.*

### *Feſtum Paſche, Celebratio & inſtitutio.*

P*Aſchalis agni ritu celebrato ac declarato, eſuſque ſanguine domorum ſuper liminaribus illito, Angelus caſis omnibus Ægypti primogenitis: de ritu phaſe ac uſu azymorum, & tempore habitationis Iſrael in Ægypto tractatur. Exod.* 22.

Septem diebus veſceris azymis: & in die ſeptimo erit ſollemnitas Domini. Azyma comedetis ſeptem diebus: non apparebit apud te aliquid fermentatum, nec in cunctis finibus tuis. *Ib.* 13. 6

Sollemnitatem Azymorum cuſtodies. Septem diebus comedes Azima, ſicut præcepi tibi tempore menſis novorum, quando egreſſus es de Ægypto: non apparebis in conſpectu meo vacuus. *Ibid.* 23. 15

Sollemnitatem Azymorum cuſtodies. Septem diebus veſceris Azymis, ſicut præcepi tibi, in tempore menſis novorum: menſe enim verni temporis egreſſus es de Ægypto. *Ibid.* 34. 18

Menſe primo, quarta decima die menſis ad veſperum, Phaſe Domini eſt: & quinta decima die menſis hujus, ſollemnitas azymorum Domini eſt. Septem diebus Azyma comedetis. Dies primus erit vobis celeberrimus, ſanctuſque: omne opus ſervile non facietis in eo: &c. *Levit.* 23. 5

Faciant filii Iſrael Phaſe in tempore ſuo, quarta decima die menſis hujus ad veſperam, juxta omnes cæremonias, & juſtificationes ejus. *Num.* 9. 2. Loquere filiis Iſrael: Homo, qui fuerit immundus ſuper anima, ſive in via procul in gente veſtra, faciat Phaſe Domino in menſe ſecundo, quarta decima die menſis ad veſperam: cum Azymis & lactucis agreſtibus comedent illud. v. 10.

Septem diebus veſcentur Azymis. Quarum dies prima venerabilis & ſancta erit: omne opus ſervile non facietis in ea, *Ibid.* 28. 17

Obſerva menſem novarum frugum, & verni primum temporis, ut facias Phaſe Domino Deo tuo: quoniam in iſto menſe eduxit te Dominus Deus tuus de Ægypto nocte, &c. *Deut.* 16. 1. Non poteris immolare Phaſe in qualibet urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus eſt tibi, &c. v. 5.





Manſeruntque filii Iſrael in Galgalis, & fecerunt Phaſe, quarta decima die menſis ad veſperum in campeſtribus Jericho. *Joſue* 5. 10

Et præcepit omni pupulo; dicens: Facite Phaſe Domino Deo veſtro, ſecundum quod ſcriptum eſt in libro fœderis hujus. 4. *Reg.* 23. 21

Miſit quoque Ezechias ad omnem Iſrael & Judam: ſcripſitque Epiſtolas ad Ephraim & Manaſſen, ut venirent ad domum Domini in Jeruſalem, & facerent Phaſe Domino Deo Iſrael. 2. *Paral.* 30. 1. Immolaverunt autem Phaſe quarta decima die menſis ſecundi. Sacerdotes quoque atque Levitæ tandem ſanctificati, obtulerunt holocauſta in domo Domini. v. 15.

Fecit autem Joſias in Jeruſalem Phaſe Domino, quod immolatum eſt quarta decima die menſis primi. *Ibid.* 35. 1

Fecerunt autem filii Iſrael transmigrationis, Paſcha, quarta decima die menſis primi. 1. *Eſdr.* 6. 19

Et hæc, cum fierent eleganter, ſteterunt Sacerdotes & Levitæ habentes Azyma per tribus, &c. 3. *Eſdr.* 1. 10

Et egerunt filii Iſrael cum his, qui erant ex captivitate, illud Phaſe quarta decima luna menſis primi, quando ſanctificati ſunt Sacerdotes & Levitæ. *Ibid.* 7. 10

In primo menſe quarta decima die menſis, erit vobis Paſchæ ſollemnitas: ſeptem diebus Azyma comedentur. *Ezech.* 45. 21

Et fecerunt diſcipuli, ſicut conſtituit illis Jeſus, & paraverunt Paſcha, &c. *Matth.* 26. 19. Marc. 14. 12

Venit autem dies Azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha. *Luc.* 22. 9

### *Feſtum Pentecoſtes.*

ET ſollemnitatem (*cuſtodies*) meſſis primitivorum operis tui, quæcumque ſeminaveris in agro, ſollemnitatem quoque in exitu anni, quando congregaveris omnes fruges tuas de agro. *Exod.* 23. 16

Sollemnitatem hebdomadarum facies tibi in primitiis frugum meſſis tuæ triticeæ, & ſollemnitatem quando redeunte anni tempore cuncta conduntur. *Ibid.* 34. 22.

Dies etiam primitivorum, quando offeretis novas fruges Domino, expletis hebdomadibus, venerabilis & ſancta erit: omne opus ſervile non facietis in eo. *Num.* 28. 26

Septem hebdomadas numerabis tibi ab ea die, qua falcem in ſegetem miſeris, &c. *Deut.* 16. 9

Poſt hæc erat dies feſtus Judæorum, & aſcendit Jeſus Hieroſolymam: &c. *Joan.* 5. 1

Et cum complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes pariter in eodem loco, &c. *Actor.* 2. 1

Propoſuerat enim Paulus transnavigare Epheſum, ne qua mora illi fieret in Aſia: feſtinabat enim, ſi poſſibile ſibi eſſet, ut diem Pentecoſtes faceret Hieroſolymis. *Ibid.* 20. 16

### *Feſtum Tubarum.*

LOquere filiis Iſrael: Menſe ſeptimo, prima die menſis, erit vobis Sabbatum, memoriale, clangentibus tubis, & vocabitur ſanctum: omne opus ſervile non facietis in eo, & offeretis holocauſtum Domino. *Levit.* 23. 24

Menſis enim ſeptimi prima dies venerabilis & ſancta erit vobis. Omne opus ſervile non facietis in ea, quia dies clangoris eſt & tubarum. Offeretiſque holocauſtum in odorem ſuaviſſimum Domino, vitulum de armento unum, arietem unum, & agnos anniculos immaculatos ſeptem, &c. *Num.* 29. 1

Venerunt itaque ad regem omnes viri Iſrael in die ſollemni menſis ſeptimi, &c. 2. *Paral.* 5. 3

### *Feſtum Expiationum.*

IN hac die expiatio erit veſtri, atque mundatio ab omnibus peccatis veſtris: coram Domino mundabimini. *Levit.* 16. 30

Decimo die menſis hujus ſeptimi, dies expiationum erit celeberrimus, & vocabitur ſanctus: affligetiſque animas veſtras in eo, & offeretis holocauſtum Domino. *Ibid.* 23. 27

Decima quoque dies menſis hujus ſeptimi erit vobis ſancta atque venerabilis, & affligetis animas veſtras: omne opus ſervile non facietis in ea. Offeretiſque holocauſtum Domino in odorem ſuaviſſimum, vitulum de armento unum, arietem unum, agnos anniculos immaculatos ſeptem. *Num.* 29. 7. Joan. 7. 37

### *Feſtum Tabernaculorum.*

ET ſollemnitatem (*cuſtodies*) menſis primitivorum operis tui, quæcumque ſeminaveris in agro, ſollemnitatem quoque in exitu anni, quando congregaveris omnes fruges tuas de agro. *Exod.* 23. 16

Loquere filiis Iſrael: A quintodecimo die menſis hujus ſeptimi erunt feriæ tabernaculorum, ſeptem diebus Domino. *Levit.* 23. 34

Sollemnitatem quoque tabernaculorum celebrabis per ſeptem dies, quando collegeris de area & torculari fruges tuas: & epulaberis in feſtivitate tua, tu, filius tuus, filia tua, ſervus tuus, & ancilla. *Deut.* 16. 13

Præcepitque eis, dicens: Poſt ſeptem annos anno remiſſionis, in ſollemnitate tabernaculorum, &c. *Ibid.* 31. 10

Feceruntque ſollemnitatem tabernaculorum ſicut ſcriptum eſt, & holocauſtum diebus ſingulis per ordinem, ſecundum præceptum, opus diei in die ſuo. 1. *Eſdr.* 3. 4

Et invenerunt ſcriptum in lege, præcepiſſe Dominum in manu Moyſi, ut habitent filii Iſrael in tabernaculis, in die ſollemni, menſe ſeptimo: & ut prædicent, & divulgent vocem in univerſis urbibus ſuis: & in Jeruſalem, dicentes: Egredimini in montem, & afferte frondes olivæ, & frondes ligni pulcherrimi, frondes myrti, & ramos palmarum, & frondes ligni nemoroſi, ut fiant tabernacula, ſicut ſcriptum eſt, &c. 2. *Eſdr.* 8. 14. Fecit ergo univerſa Eccleſia eorum, qui redierant de captivitate, tabernacula & habitaverunt in tabernaculis. Ibid. 17

Et nunc frequentate dies Scenopegiæ menſis Caſleu. 2. *Mach.* 1. 9

Et cum lætitia diebus octo egerunt in modum tabernaculorum; recordantes quod ante modicum temporis, diem ſollemnem tabernaculorum in montibus & in ſpeluncis more beſtiarum egerant. *Ibid.* 10. 6

Erat autem in proximo dies feſtus Judæorum, Scenopegia. *Joan.* 7. 2

*Feſtum Sabbati.*

COmplevitque Deus die ſeptimo opus ſuum, quod fecerat: & requievit die ſeptimo ab univerſo opere, quod patrarat. Et benedixit diei ſeptimo, & ſanctificavit illum, quia in ipſo ceſſaverat ab omni opere ſuo quod creavit Deus, ut faceret. *Gen.* 2. 2

*Moyſes ait illis*: Hoc eſt quod locutus eſt Dominus: requies Sabbati ſanctificata eſt Domino cras: quodcumque operandum eſt, facite: & quæ coquenda ſunt, coquite: quidquid autem reliquum fuerit, reponite uſque in mane. *Exod.* 16. 23

*Sexta die filii Iſrael in deſerto colligebant Manna in duplici quantitate, ut die Sabbati vocarent ab omni opere. Ibid. v.* 22

Memento ut diem Sabbati ſanctifices. *Ibid.* 20 8. v. 11

Sex diebus operaberis: ſeptimo die ceſſabis, ut requieſcat bos, & aſinus tuus: & refrigeretur filius ancillæ tuæ, & advena. *Ibid.* 23. 12

Cuſtodite Sabbatum meum, ſanctum eſt enim vobis: qui polluerit illud, morte morietur: qui fecerit in eo opus, peribit anima illius de medio populi ſui. *Ibid.* 31. 14. pactum eſt ſempiternum inter me & filios Iſrael, ſignumque perpetuum: ſex enim diebus fecit Dominus cælum & terram, & in ſeptimo ab opere ceſſavit. Ibid. v. 16

Sex diebus operaberis, die ſeptimo ceſſabis arare & metere. *Ibid.* 34. 21

Sex diebus facietis opus: ſeptimus dies erit vobis ſanctus, Sabbatum, & requies Domini, qui fecerit opus in eo, occidetur. *Ibid.* 35. 2. Levit. 23. 3

Unuſquiſque patrem ſuum, & matrem ſuam timeat. Sabbata mea cuſtodite. *Levit.* 19. 3. c. 26. 2

Sex annis ſeres agrum tuum, & ſex annis putabis vineam tuam, colligeſque fructus ejus. Septimo autem anno Sabbatum erit terræ, requietionis Domini: agrum non ſeres, & vineam non putabis. *Ibid.* 25. 3. Exod. 23. 10

Factum eſt autem, cum eſſent filii Iſrael in ſolitudine, & inveniſſent hominem colligentem ligna in die Sabbati, obtuleruot eum Moyſi & Aaron, & univerſæ multitudini &c. *Num.* 15. 32

Die autem Sabbati offeretis duos agnos anniculos immaculatos, & duas decimas Similæ oleo conſperſæ in ſacrificio, & liba, quæ rite funduntur per ſingula Sabbata in holocauſtum ſempiternum. *Ibid.* 28. 9

Obſerva diem Sabbati, & ſanctifices eum, ſicut præcepit tibi Dominus Deus tuus, &c. *Deut.* 5 12

*Nehemias objurgat, & puniuntur Sabbati violatores.* 2. *Eſdr.* 3. 15

Beatus vir, qui facit hoc (*ſcilicet judicium & juſtitiam*) & filius hominis, qui apprehendet iſtud: cuſtodiens Sabbatum, ne polluat illud. Quia hæc dicit Dominus Eunuchis: Qui cuſtodierint Sabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum: dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius a filiis, & filiabus: nomen ſempiternum dabo eis, quod non peribit. *Iſa.* 56. 2

Si averteris a Sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die ſancto meo, & vocaveris Sabbatum delicatum, & ſanctum Domini glorioſum, & glorificaveris eum, dum non facis vias tuas, & non invenitur voluntas tua, ut loquaris ſermonem: tunc delectaberis ſuper Domino, & ſuſtollam te ſuper altitudines terræ, & cibabo te hereditate Jacob patris tui, os enim Domini locutum eſt. *Ibid.* 58. 13. Cap. 66. 23

Hæc dicit Dominus: Cuſtodite animas veſtras, & nolite portare pondera in die Sabbati, nec inferatis per portas Jeruſalem. Et nolite ejicere onera de domibus veſtris in die Sabbati, & omne opus non facietis: Sanctificate diem Sabbati, ſicut præcepi patribus veſtris. *Jerem.* 17. 21. Si autem non audieritis me ut ſanctificetis diem Sabbati, & ne portetis onus, & ne inferatis per portas Jeruſalem in die Sabbati: ſuccendam ignem in portis ejus, & devorabit domos Jeruſalem, & non extinguetur. Ibid. v. 27.

Et dedi eis precepta mea, & judicia mea oſtendi eis, quæ faciens homo vivet in eis. Inſuper & Sabbata mea dedi eis, ut eſſent ſignum inter me & eos: & ſcirent, quia ego Dominus ſanctificans eos. *Ezech.* 20. 11. Exod. 20. 8. Cap. 31. 13

Sanctuaria mea ſpreviſti, & Sabbata mea polluiſti. *Ibid.* 22, 8

Et Tyrii habitaverunt in ea, inferentes piſces & omnia venalia: & vendebant in Sabbatis filiis Juda in Jeruſalem. Et objurgavi optimates Juda, & dixi eis: Quæ eſt hæc res mala, quam vos



vos facitis, & prophanatis diem Sabbati? Numquid non hæc fecerunt patres noſtri, & adduxit Deus noſter ſuper nos omne malum hoc, & ſuper civitatem hanc? 2. *Eſdr.* 13. 16. Dixi quoque Levitis, ut mundarentur, & venirent ad cuſtodiendas portas, & ſanctificandam diem Sabbati: & pro hoc ergo memento mei Deus meus, & parce mihi ſecundum multitudinem miſerationum tuarum. Ibid. v. 22

Et ſcripſit Rex Antiochus omni regno ſuo, ut eſſet omnis populus unus: & relinqueret unuſquiſque legem ſuam. Et conſenſerunt omnes gentes ſecundum verbum regis Antiochi: & multi ex Iſrael conſenſerunt ſervituti ejus, & ſacrificaverunt Idolis, & coinquinaverunt Sabbatum. Et miſit Rex libros per manus nuntiorum in Jeruſalem, & in omnes civitates Juda: ut ſequerentur leges Gentium terræ, & prohiberent holocauſta, & ſacrificia, & placationes fieri in templo Dei, & prohiberent celebrari Sabbatum, & dies ſollemnes, & juſſit coinquinari ſancta, & ſanctum populum Iſrael, &c. 1. *Mach.* 1. 43. *Idem* Cap. 2. *per totum. Item* 2. Mach. 8. 26

Nicanor autem, ut comperit Judam eſſe in locis Samariæ, cogitavit cum omni impetu die Sabbati committere bellum. Judæis vero, qui illum per neceſſitatem ſequebantur, dicentibus: Ne ita ferociter & barbare feceris, ſed honorem tribue diei ſanctificationis, & honora eum, qui univerſa conſpicit: &c. 2. *Mach.* 15. 1

In illo tempore abiit Jeſus per ſata Sabbato: diſcipuli autem ejus eſurientes, cœperunt vellere ſpicas, & manducare. *Matt.* 12. 1. *Idem* Marc. 2. 23. Cap. 3. 2. Matth. 12. 10

Et facto Sabbato cœpit in Sinagoga docere: & multi audientes admirabantur in doctrina ejus. *Marc.* 6. 2

Quidam autem Phariſæorum dicebant illis. Quid facitis quod non licet in Sabbatis? Et reſpondens Jeſus ad eos, dixit: Nec hoc legiſtis, quod fecit David, cum eſuriret ipſe & qui cum illo erant: quomodo intravit in domum Dei, & panes propoſitionis ſumpſit, & manducavit ---, quos non licet manducare niſi tantum Sacerdotibus? *Luc.* 6. 2. Levit. 24. 8. Exod. 29. 32

Et venit Nazareth, ubi erat nutritus, & intravit ſecundum conſuetudinem ſuam, die Sabbati in Synagogam, & ſurrexit legere, &c. *Luc.* 4. 16. Et deſcendit in Capharnaum civitatem Galilææ, ibique docebat illos Sabbatis. Et ſtupebant in doctrina ejus. Ibid. v. 31

Erat autem docens in Synagoga eorum Sabbatis. *Ibid.* 13. 10. & v. 14. & Cap. 14. 1. Joan. 7. 22. 9. 14

Dicebant ergo Judæi, illi, qui ſanatus fuerat: Sabbatum eſt, non licet tibi tollere grabatum tuum. Reſpondit eis: Qui me ſanum fecit, ille dixit: Tolle grabatum tuum & ambula. *Joan.* 5. 10

Illi vero pertranſeuntes Pergen, venerunt Antiochiam Piſidiæ: & ingreſſi Synagogam die Sabbatorum, ſederunt &c. *Actor.* 13. 14. Sequenti vero Sabbato, pæne univerſa civitas convenit audire verbum Dei. v. 27. & 44. Cap. 15. 21. 18. 4

Una autem Sabbati cum conveniſſemus ad frangendum panem, Paulus diſputabat cum eis profecturus in craſtinum, protraxitque ſermonem uſque in mediam noctem. *Ibid.* 20. 7

Per unum Sabbati unuſquiſque veſtrum apud ſe ſeponat, recondens quod ei bene placuerit: ut non, cum venero, tunc collectæ fiant. 1. *Cor.* 16. 2

Dixit enim in quodam loco de die ſeptima ſic: Et requievit Deus die ſeptima ab omnibus operibus ſuis, &c. *Hebr.* 4. 4. *ut veram requiem adipiſcamur.* v. 10

*Feſtum Sabbati a bono, bene obſervatur.*

MEmento, ut diem Sabbati ſanctifices. Sex diebus operaberis --- Septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui eſt: non facies omne opus in eo, tu, & filius tuus & filia tua, ſervus tuus, & ancilla tua, jumentum tuum, & advena, qui eſt intra portas tuas. *Exod.* 20. 8

Sex diebus operaberis, ſeptimo die ceſſabis arare & metere. *Ibid.* 34. 21

Sex diebus facietis opus: dies ſeptimus, quia Sabbati requies eſt, vocabitur ſanctus: Omne opus non facietis in eo, &c. *Levit.* 23. 3

A veſpera uſque ad veſperam celebrabitis Sabbata veſtra. *Ibid. v.* 32

Obſerva diem Sabbati, ut ſanctifices eum --- Non facies in eo quidquam operis. *Deut.* 5. 12

Si averteris a Sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die ſancto meo, & vocaveris Sabbatum delicatum, & ſanctum Domini glorioſum, & glorificaveris eum, dum non facis vias tuas, & non invenitur voluntas tua, ut loquaris ſermonem: tunc delectaberis ſuper Domino, & ſuſtollam te ſuper altitudines terræ. *Iſa.* 58. 13

Cuſtodite animas veſtras, & nolite portare pondera in die Sabbati. *Jere.* 17. 21

Et erit ſi audieris me, dicit Dominus, ut non inferatis onera per portas civitatis hujus in die Sabbati: & ſi ſanctificaveritis diem Sabbati, ne faciatis in eo omne opus: ingredientur per portas civitatis hujus reges & principes, ſedentes ſuper ſolium David --- & habitabitur civitas hæc in ſempiternum. *Ibid. v.* 24

Itaque licet Sabbatis benefacere. *Matt.* 12. 12

Sabbatum propter hominem factum eſt, & non homo propter Sabbatum. Itaque Dominus eſt Filius hominis etiam Sabbati. *Marc.* 2. 27

Interrogo vos, ſi licet Sabbatis benefacere, an male: animam ſalvam facere, an perdere? *Luc.* 6. 9

Hypocritæ, unuſquiſque veſtrum Sabbato non ſolvit bovem ſuum, aut aſinum a præſepio, & ducit adaquare? *Luc.* 13. 15

*A malo male violatur.*

SEx diebus facietis opus: ſeptimus dies erit vobis ſanctus --- qui fecerit opus in eo occidetur. *Exod.* 35. 2

*Colligens ligna Sabbato, precepto Domino lapidatus fuit. Num.* 15. 36

Dies feſti veſtri convertentur in lamentationem & luctum. *Tob.* 2. 6

Neomeniam & ſabbatum, & feſtivitates alias non feram, iniqui ſunt cœtus veſtri: Calendas veſtras, & ſollemnitates veſtras odivit anima mea. *Iſa.* 1. 13

Si autem non audieritis me, ut ſanctificetis diem Sabbati, & ne portetis onus, & ne inferatis per portas Jeruſalem in die Sabbati: ſuccendam ignem in portis ejus, & devorabit domos Jeruſalem, & non extinguetur. *Jerem.* 17. 27

Odi, & projeci feſtivitates veſtras: & non capiam odorem cœtuum veſtrorum. *Amos* 5. 21

Et convertam feſtivitates veſtras in luctum, & omnia cantica veſtra in planctum. *Ibid.* 8. 10

*Feſtum Neomeniæ.*

IN Calendis autem (*id eſt in menſium exordiis*) offeretis holocauſtum Domino, vitulos de armento duos, arietem unum, agnos anniculos ſeptem immaculatos, &c. *Num.* 28. 11

Dixit autem David ad Jonatham: Ecce calendæ ſunt craſtinò, & ego ex more ſedere ſoleo juxta Regem ad veſcendum: dimitte ergo me, ut abſcondar in agro uſque ad veſperam diei tertiæ, &c. 1. *Reg.* 20. 5

Hæc dicit Dominus Deus: In primo menſe, una menſis, ſumes vitulum de armento immaculatum & expiabis ſanctuarium. *Ezech.* 45. 18

*Feſtorum violatio quam graviter puniatur.*

FActum eſt autem, cum eſſent filii Iſrael in ſolitudine, & inveniſſent hominem colligentem ligna in die Sabbati, obtulerunt eum Moyſi & Aaron & univerſæ multitudini: qui recluſerunt eum in carcerem, neſcientes quid ſuper eo facere deberent. *Num.* 15. 32

Dixitque Dominus ad Moyſen: Morte moriatur homo iſte, obruat eum lapidibus omnis turba extra caſtra. *Ibid. v.* 35

## TITULUS VIII.

*Fidelitas.*

*Fidelitas erga hominem.*

*SErvus Abrahæ Eliezer fideliter egit nuntium a Domino ſuo ſibi commiſſum.* Gen. 34

*Fideliter ſervivit Jacob avunculo ſuo Laban, quando gregem paſcens die noctuque æſtu urebatur & gelu. Ibid.* 31. 6 *&* 40

*Joſeph erga Dominum ſuum fideliter ſe habuit, qui uxorem ejus tangere noluit. Ibid.* 39. *Vide &* Cap. 41

*Rachab meretrix fideliter egit cum exploratoribus, quos miſerat Joſue. Et poſtea Joſue fideliter cum ea.* Joſ. 2. *&* 6

*Quamvis Gabaonitæ feſelliſſent Joſue & filios Iſrael, tamen juramenta & pacta eis ſervaverunt, & eos contra hoſtes poſtea fideliter adjuverunt. Ibid.* 9. *&* 10

*Fideliter Jonathas indicavit David iram patris ſui, & ipſum quantum potuit excuſavit, & poſtea confortavit.* 1. *Reg.* 20

*Occiſo patre Abjathar occaſione David*: Ego (*inquit*) ſum reus omnium animarum patris tui. Mane mecum, ne timeas: ſi quis quæſierit animam meam, quæret & animam tuam, mecumque ſervaberis. 1. *Reg.* 22. 22

*Noluit David percutere Saul regem & Dominum ſuum, licet malum & perſequentem eum.* 1. *Reg.* 24. 7

*Viri Jabes Galaad fideliter ſe habuerunt ad Saul Dominum ſuum, licet malum, reverenter ſepelientes eum.* 1. *Reg.* 31. 11

*Inſtante captione civitatis Rabbath quam obſederat Joab, miſit ad David, ut veniret & illam caperet; ut domino ſuo, non ſibi honor victoriæ deferretur.* 2. *Reg.* 12. 27

*Cum fugeret David a facie Abſalon, dixit illi Ethai*: Vivit Dominus --- quoniam in quocumque loco fueris Domine mi rex, ſive in morte, ſive in vita, ibi erit ſervus tuus. 2. *Reg.* 15. 21

*Separatus omnis Iſrael a David, ſecutuſque Seban filium Bochri. Viri autem Joab &c. adhæſerunt regi ſuo fideles & conſtantes.* 2. *Reg.* 20. 7

*Commendat Dominus fidelitatem ſervorum, qui multiplicaverunt ſibi tradita talenta.* Matth. 15. 14

## TITULUS IX.

*Fides.*

*Fides accipitur pro fidelitate Dei in ſervandis promiſſis.*

NOn eſt Deus quaſi homo, ut mentiatur: nec ut filius hominis, ut mutetur. Dixit ergo, & non faciet? locutus eſt, & non implebit? *Num.* 23. 19

Quia



Quia rectum eſt verbum Domini: & omnia opera ejus in fide. *Pſal.* 32. 4

Et erit juſtitia cingulum lumborum ejus: & fides cinctorium renum ejus. Habitabit lupus cum agno: & pardus cum hædo accubabit. *Iſa.* 11. 5

Novi diluculo, multa eſt fides tua. *Thren.* 3. 23

Et ſponſabo te mihi in fide: & ſcies quia ego Dominus. *Oſeæ* 2. 20

Ephraim in deſolatione erit in die correptionis: in tribubus Iſrael oſtendi fidem. *Ib.* 5. 9

Quid enim ſi quidam illorum non crediderunt? Numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit? &c. *Rom.* 3. 3

Si non credimus, ille fidelis permanet, &c. 2. *Tim.* 2. 13

*Pro veritate & verborum conſtantia inter homines.*

IN argumentum ergo fidei retentum pallium oſtendit marito reverſenti domum. *Gen.* 39. 16

Ego proprie ſervus tuus ſim, qui in meam hunc recepi fidem, & ſpopondi, &c. *Ib.* 44. 32

Anima, quæ peccaverit, & contempto Domino, negaverit proximo ſuo depoſitum, quod fidei ejus creditum fuerat, vel vi aliquid extorſerit, aut calumniam fecerit, &c. *Lev.* 6. 2

Fidem poſſide cum amicis in paupertate illius, ut & in bonis illius læteris. In tempore tribulationis illius permane illi fidelis, ut & in hereditate illius coheres ſis. *Eccli.* 22. 28

Et illi dixerunt ad Jeremiam: Sit Dominus inter nos teſtis veritatis & fidei, ſi non juxta omne verbum, in quo miſerit te Dominus Deus tuus ad nos, ſic faciemus. *Jer.* 42. 5

Et nunc perſeverate adhuc conſervare ad nos fidem, & retribuemus vobis bona pro his, quæ feciſtis nobiſcum. 1. *Mach.* 10. 27

In quo (*Chriſto*) poſitus ſum ego prædicator, & Apoſtolus, (veritatem dico, non mentior) doctor Gentium in fide & veritate. 1. *Tim.* 2. 7

*Pro virtute Theologica.*

SEntite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illum: quoniam invenitur ab his, qui non tentant illum: apparet autem eis, qui fidem habent in illum. *Sap.* 1. 1

Qui non operatus eſt per manus ſuas iniquitatem, nec cogitavit adverſus Deum nequiſſima: dabitur enim illi fidei donum electum, & ſors in templo Dei acceptiſſima. *Ibid.* 3. 14

Ecce qui incredulus eſt, non erit recta anima ejus in ſemetipſo: juſtus autem in fide ſua vivet. *Habac.* 2. 4

Et dixit Jeſus Centurioni: Vade, & ſicut credidiſti, fiat tibi. Et ſanatus eſt puer in illa hora. *Matth.* 8. 13

At Jeſus converſus & videns eam, dixit: Confide filia, fides tua te ſalvam fecit. Et ſalva facta eſt mulier ex illa hora. *Ibid.* 9. 22. Idem Marc. 5. 34

Dixit illis Jeſus: Propter incredulitatem veſtram. Amen quippe dico vobis, ſi habueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic, Tranſi hinc illuc, & tranſibit, & nihil impoſſibile erit vobis. *Ibid.* 17. 19. Luc. 17. 6

Quorum fidem, ut vidit, dixit: Homo, remittuntur tibi peccata tua. *Luc.* 5. 20

Credidit Abraham Deo: & reputatum eſt illi ad juſtitiam. *Rom.* 4. 3

Juſtificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. *Ib.* 5. 1

*Pro fide viva & formata caritate.*

JUſtus autem in fide ſua vivet. *Habac.* 2. 5

Confide filia, fides tua te ſalvam fecit. *Matth.* 9. 22

Tunc reſpondens Jeſus, ait illi: O mulier magna eſt fides tua: fiat tibi, ſicut vis. *Ib.* 15. 28

Filia, fides tua te ſalvam fecit: vade in pace, & eſto ſana a plaga tua. *Marc.* 5. 34. Luc. 7. 50. Idem habetur, & 8. 48

Jeſus autem ait illi: Vade, fides tua te ſalvum fecit. Et confeſtim vidit, & ſequebatur eum. *Ib.* 10. 52

Juſtitia autem Dei per fidem Jeſu Chriſti, in omnes & ſuper omnes, qui credunt in eum: non enim eſt diſtinctio. *Rom.* 3. 22

Nam in Chriſto Jeſu, neque circumciſio aliquid valet, neque præputium: ſed fides, quæ per caritatem operatur. *Galat.* 5. 6

*Fidem magnifice commendat ex actis patrum, a mundi exordio uſque ad David & Prophetas, & in univerſum quanta patrarint, ac paſſi ſint per fidem, nec tamen plenam adhuc acceperunt retributionem.* Hebr. 11.

*Pro fide mortua abſque caritate.*

NOn omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum: ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in Cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum. Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: Quia numquam novi vos: diſcedite a me, qui operamini iniquitatem. *Matth.* 7. 21. & 25. 11. Luc. 6. 46

Et ſi habuero prophetiam, & noverim myſteria omnia, & omnem ſcientiam: & ſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil ſum. Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, mihi nihil prodeſt. 1. *Cor.* 13. 2



Per

Per quod (*Evangelium*) & ſalvamini: qua ratione prædicaverim vobis, ſi tenetis, niſi fruſtra credidiſtis. *1. Cor.* 15. 2

Sicut enim corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita & fides ſine operibus mortua eſt. *Jacob.* 2. 26

*Pro ſponſione ſeu voto.*

HAbentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. *1. Tim.* 5. 12

*Pro fiducia.*

POſtulet autem in fide nihil hæſitans, &c. *Job.* 1. 6

*Fides caritate inferior: vide Caritas.*

*Fides fundatur in veritate Dei.*

CRedidit Abraham Deo: & reputatum eſt illi ad juſtitiam. *Rom.* 4. 3. Galat. 3. 5

Fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti (qui *eſt verus Deus*) *Ibid.* 10. 17

Quoniam cum accepiſſetis a nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud, non ut verbum hominum, ſed (ſicut vere eſt) verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidiſtis. *1. Theſſ.* 2. 13

Nam arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti. *2. Cor.* 10. 4

Non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia: ſed Spiritu ſancto inſpirati ſunt ſancti Dei homines. *2. Petr.* 1. 21

Credite in Domino Deo veſtro, & ſecuri eritis: credite Prophetis ejus, & cuncta evenient proſpera. *2. Paral.* 20. 20

*Fides viva, quæ per caritatem operatur, magna eſt virtutis.*

ET aſcendens Jeſus in naviculam transfretavit, & venit in civitatem ſuam. Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto. Et videns Jeſus fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. *Matth.* 9. 1. Confide filia, fides tua te ſalvam fecit. Et ſalva facta eſt mulier ex illa hora. Ibid. v. 22. Cum autem veniſſet domum, acceſſerunt ad eum cæci. Et ei dicit Jeſus: Creditis, qui hoc poſſum facere vobis? Dicunt ei: Utique Domine, &c. Ibid. v. 28. Marc. 2. 3. Luc. 5. 18

Et omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis. *Ibid.* 21. 22

Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur. *Mar.* 16. 16

Et Jeſus dixit illi: Reſpice, fides tua te ſalvum fecit. *Luc.* 18. 42

Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus. *Joan.* 1. 12

Ut omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. *Ibid.* 3. 15. 1. Joan. 4. 9

Dixit autem eis Jeſus: Ego ſum panis vitæ: qui venit ad me, non eſuriet: & qui credit in me, non ſitiet umquam. *Ibid.* 6. 35

Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. *Ibid.* 7. 38. Deut. 18. 15

Dixit ei Jeſus: Ego ſum reſurrectio & vita, qui credit in me, etiam ſi mortuus fuerit, vivet; & omnis qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum. *Ibid.* 11. 25

Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio & ipſe faciet, & majora horum faciet: quia ego ad Patrem vado. *Ibid.* 14. 12

Et in fide nominis ejus, hunc quem vos vidiſtis, & noſtis, confirmavit nomen ejus: & fides, quæ per eum eſt, dedit integram ſanitatem iſtam in conſpectu omnium veſtrum. *Actor.* 3. 16

Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum. *Ibid.* 10. 43. Jerem. 31, 35. Mich. 7. 18

Et qui novit corda Deus, teſtimonium perhibuit, dans illis Spiritum ſicut & nobis, & nihil diſcrevit inter nos & illos, fide purificans corda eorum. *Ibid.* 15. 8

Crede in Dominum Jeſum: & ſalvus eris tu, & domus tua. *Ibid.* 16. 31

Non enim erubeſco Evangelium. Virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti. *Rom.* 1. 16. Cap. 3. 22

Providens autem Scriptura, quia ex fide juſtificat Gentes Deus, prænuntiavit Abrahæ. *Galat.* 3. 8. Epheſ. 2. 7

Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo. *Hebr.* 11. 6

*Fidem colentium felicitas, deſerentium infelicitas.*

*MOyſes ob retentum veræ religionis cultum & zelum, non curavit bonis ſpoliari, & in exſilium profugere: ex quo factum, ut ad tantam dignitatem ac poteſtatem evectus ſit, quantam ante ipſum nemo legitur aſſecutus. Exod. c. 2. & 3. & ſeq.*

*Daniel propter actus veræ religionis ſumma honorum & bonorum temporalium felicitate auctus eſt. Dan. 6*

*Joas, quamdiu veram religionem coluit, feliciter regnavit: at ubi defecit, multis languoribus a Syris excruciatus, a ſuis tandem interfectus eſt. Idem legitur de Salomone. 2. Paral. 24. 3. Reg.* c. 18. & 22

Ingrediemur enim in requiem, qui credidimus. *Hebr.* 4. 3





*Fides ſine operibus non juſtificat. Vide & Juſtificatio.*

ET ſi habuero prophetiam, & noverim myſteria omnia, & omnem ſcientiam: etſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil ſum. Etſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, etſi tradidero corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. *1. Cor.* 13. 2

Nam in Chriſto Jeſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium: ſed fides quæ per caritatem operatur. *Galat.* 5. 6

Videtis quoniam ex operibus juſtificatur homo, & non ex fide tantum? *Jacob.* 2. 24. *Vide totum Caput.*

*Fides ipſa vocatur opus bonum.*

COnfidens hoc ipſum (*ait Paulus*) quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet uſque in diem Chriſti Jeſu. *Philip.* 1. 6

*Fidei neceſſitas.*

CIrcuite vias Jeruſalem, & aſpicite & conſiderate, & quærite in plateis ejus, an inveniatis virum facientem judicium, & quærentem fidem: & propitius ero ei. Quod ſi etiam, vivit Dominus, dixerint: & hoc falſo jurabunt. Domine, oculi tui reſpiciunt fidem. *Jerem.* 5. 1

Qui vero non crediderit, condemnabitur. *Marc.* 16. 16

Omne autem, quod non eſt ex fide, peccatum eſt. *Rom.* 14. 23

In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere. *Epheſ.* 6. 16

Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit. *Hebr.* 11. 6

Si enim non credideritis --- moriemini. *Joan.* 8. 24

*Fides eſt una.*

UNus Dominus, una fides, unum baptiſma. Unus Deus & Pater omnium qui eſt ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. *Epheſ.* 4. 5

Non ſint in vobis Schiſmata: ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia. *1. Cor.* 1. 10

*Fidei vivæ & operanti tribuitur juſtitia & ſalus.*

CRedidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam, *idem Gen.* 15. 6. Rom. 4. 3. & 18. & 23. Gal. 3. 6. Jac. 2. 23

Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur. *Marc.* 16. 16

Et Beata, quæ credidiſti (*loquitur de B. Virgine*) quoniam perficientur ea, quæ dicta ſunt tibi a Domino. *Luc.* 1. 45

At ipſe (*Jeſus*) dixit ei: Filia, fides tua ſalvam te fecit: vade in pace. *Ibid.* 8. 48

Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui miſit me, habet vitam æternam, & in judicium non venit, ſed tranſit a morte in vitam. *Joan.* 5. 24

Hæc eſt autem vita æterna: ut cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum. *Ibid.* 17. 3

Notum igitur ſit vobis viri fratres, quia per hunc vobis remiſſio peccatorum annuntiatur, & ab omnibus, quibus non potuiſtis in lege Moyſi juſtificari: in hoc omnis qui credit, juſtificatur. *Actor.* 13. 38

Crede in Dominum Jeſum: & ſalvus eris tu, & domus tua. *Ibid.* 16. 31

Juſtitia autem Dei per fidem Jeſu Chriſti, in omnes & ſuper omnes, qui credunt in eum: non enim eſt diſtinctio, &c. *Rom.* 3. 22

*Dicit Paulus: ex fide juſtificati non ſolum ſpe gloriamur, verum etiam in adverſitatibus; nam ſi Chriſtus pro nobis adhuc impiis mortuus eſt, multo magis ſalvabit jam juſtificatos per ſanguinem ipſius. Ibid. c. 5.*

Corde enim creditur ad juſtitiam: ore autem confeſſio fit ad ſalutem. *Ibid.* 10. 10

Verum tamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe, propter eminentem ſcientiam Jeſu Chriſti Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam, & inveniar in illo, non habens meam juſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed illam, quæ ex fide eſt Chriſti Jeſu. *Philip.* 3. 8. Epheſ. 2. 7

Propter quod continet Scriptura: Ecce pono in Sion lapidem ſummum angularem, electum, pretioſum: & qui crediderit in eum, non confundetur. *1. Petr.* 2. 6. Iſa. 28. 16. Rom. 9. 33

Ingrediemur enim in requiem, qui credimus: quemadmodum dixit (*Pſal.* 94. 12.) Sicut juravi in ira mea: ſi introibunt in requiem meam: & quidem operibus ab inſtitutione mundi perfectis. *Hebr.* 4. 3

*Non ſola fides juſtificat. Vide Juſtificatio.*

*Fidei prædicatio cum præfectis Eccleſiæ conferenda.*

AScendi autem ſecundum revelationem: & contuli cum illis Evangelium, quod prædico in Gentibus, ſeorſum autem iis, qui videbantur aliquid eſſe: ne forte in vacuum currerem, aut cucurriſſem. *Galat.* 2. 2

*Fidem gentium etiam reſpicit Deus.*

ET liberabo te in die illa, ait Dominus: & non traderis in manus virorum, quos tu formidas: ſed eruens liberabo te, & gladio non cades: ſed erit tibi anima tua in ſalutem; quia in me habuiſti fiduciam, ait Dominus. *Jere.* 39. 17

Cum autem introiſſet Capharnaum, acceſſit ad eum Centurio, rogans eum & dicens: Domine puer meus jacet in domo paralyticus, & male torquetur. Et ait illi Jeſus: Ego veniam & curabo eum. *Matth.* 8. 5. Vade & ſicut credidiſti, fiat tibi, & ſanatus eſt puer in illa hora. Ibid. v. 13

Jeſus ait illi: O mulier, magna eſt fides tua: fiat tibi ſicut vis. *Ib.* 15. 28

Quo audito (*quod Centurio dixerat ſcilicet*, Domine, noli vexari: non enim ſum dignus, ut ſub tectum meum intres, &c.) Jeſus miratus eſt: & converſus ſequentibus ſe turbis dixit: Amen dico vobis, nec in Iſrael tantam fidem inveni, &c. *Luc.* 7. 9

Samaritanus autem quidam iter faciens, venit ſecus eum: & videns eum, miſericordia motus eſt. Et appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum & vinum. *Ibid.* 10. 33

Unus autem ex illis, ut vidit, quia mundatus eſt, regreſſus eſt, cum magna voce magnificans Deum, & cecidit in faciem ante pedes ejus, gratias agens, & hic erat Samaritanus. *Ibid.* 17. 15

Hic cum audiſſet, quia Jeſus adveniret a Judæa in Galilæam, abiit ad eum, & rogabat eum, ut deſcenderet, & ſanaret filium ejus: incipiebat enim mori, &c. *Joan.* 4. 47

Vir autem quidam erat in Cæſarea, nomine Cornelius, Centurio cohortis quæ dicitur Italica, religioſus, ac timens Deum cum omni domo ſua, faciens eleemoſynas multas plebi, & deprecans Deum ſemper: is vidit in viſu manifeſte quaſi hora diei nona Angelum Dei introeuntem ad ſe, & dicentem ſibi, Corneli, &c. *Actor.* 10. 1

Angelus autem Domini locutus eſt ad Philippum, dicens: Surge, & vade contra meridianum, ad viam quæ deſcendit ab Jeruſalem in Gazam: hæc eſt deſerta, &c. *Ibid.* 8. 26

## TITULUS X.

*Fidejuſſio cavenda.*

AFfligetur malo, qui fidem facit pro extraneo. *Prov.* 11. 15

Stultus homo plaudet manibus, cum ſponderit pro amico ſuo. *Ibid.* 17. 18

Tolle veſtimenta ejus, qui fidejuſſor extit alienis, & pro extraneis aufer pignus ab eo. *Ibid.* 20. 16. Cap. 27. 13

Noli eſſe cum his, qui defigunt manus ſuas, & qui vades ſe offerunt pro debitis: ſi enim non habes unde reſtituas, quid cauſæ eſt ut tollat operimentum de cubili tuo? *Ibid.* 22. 26

Non ſpondeas ſuper virtutem tuam: quod ſi ſpoponderis, quaſi reſtituens cogita. *Eccli.* 8. 16

Vir repromittit de proximo ſuo: & cum perdiderit reverentiam, derelinquetur ab eo. Repromiſſio nequiſſima multos perdidit dirigentes, & commovit illos, quaſi fluctus maris. Viros potentes gyrans migrare fecit, & vagati ſunt in gentibus alienis. *Ibid.* 29. 23

*Diligenter redimenda.*

FIli mi, ſi ſpoponderis pro amico tuo, defixiſti apud extraneum manum tuam. Illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis ſermonibus. Fac ergo quod dico fili mi, & temetipſum libera: quia incidiſti in manum proximi tui. Diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum: Ne dederis ſomnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. Eruere quaſi damula de manu, & quaſi avis de manu aucupis. *Prov.* 6. 1

*Recognoſcenda.*

VIr bonus fidem facit pro proximo ſuo: & qui perdiderit confuſionem, derelinquet ſibi. Gratiam fidejuſſoris ne obliviſcaris: dedit enim pro te animam ſuam. Repromiſſorem fugit peccator, & immundus. Bona repromiſſoris ſibi adſcribit peccator: & ingratus ſenſu derelinquet liberantem ſe. *Eccli.* 29. 29

Recupera proximum ſecundum virtutem tuam, & attende tibi, ne incidas. *Ibid.* v. 27

## TITULUS XI.

*Fides proximo recte ſervanda.*

SIc *Joſue Gabaonitis promiſſam ſervavit fidem, dicens*; Juravimus illis in nomine Domini Dei Iſrael, & idcirco non poſſumus eos contingere. *Joſue* 9. 19

Multi homines miſericordes vocantur: virum autem fidelem quis inveniet? *Prov.* 20. 6

Vir bonus fidem facit proximo ſuo. *Eccli.* 29. 17. *Vide totum Caput.*

Non duplices ſermonem auditus, de revelatione ſermonis abſconditi, & eris vere ſine confuſione, & invenies gratiam in conſpectu omnium hominum. *Ibid.* 42. 1

Qui incredulus eſt, infideliter agit. *Iſa.* 21. 2

*Cum periculo frangitur.*

ET qui diſſolvit pactum, numquid effugiet? Vivo ego, dicit Dominus Deus: quoniam in loco regis, qui conſtituit eum Regem, cujus fecit irritum juramentum, & ſolvit pa-



ctum, quod habebat cum eo, in medio Babylonis morietur. *Ezech.* 17. 15

Spreverat enim juramentam, ut ſolveret fœdus, & ecce dedit manum ſuam: & cum omnia hæc fecerit, non effugiet. *Ibid.* v. 18

*Fides mulierem. Vide Mulierum Fides.*

## TITULUS XII.

*Fideles liberat a communi perditione impiorum, Deus.*

H*Ominis peccata fuere diluvii cauſa. Noe tamen juſtus inventus, cui Arca fabricanda mandatur, in qua ipſe & cunctorum animantium genera ſerventur.* Gen. 6.

*Ingreſſo Noe cum ſuis in Arca, ſtatim aqua omnium montium cacumina 150. diebus ſuperavit, reliquaque animantia ſubmerſit.* Ibid. 7

*Imminutis paullatim aquis diluvii poſt corvi & columbæ emiſſiones, Noe cum univerſis, quæ in arca continebantur, egreditur, & altari extructo offert holocauſta.* Ibid. 8

*Loth Angelis hoſpitio ſuſceptis a Sodomitis vim patitur, cum uxore & utraque filia a Sodomitico ereptus incendio, uxorem in viam amiſit, tandemque cum utraque filia inceſtum ignorans commiſit, unde ortum habuerunt Moabitæ, & Ammonitæ.* Ibid. 19

Faciamque mirabilem in die illa terram Geſſem, in qua populus meus eſt, ut non ſint ibi muſcæ, & ſcies quoniam ego Dominus in medio terræ. Ponamque diviſionem inter populum meum, & populum tuum: cras erit ſignum iſtud. *Exod.* 8. 22

Et faciet Dominus mirabile, inter poſſeſſiones Iſrael, & poſſeſſiones Ægyptiorum, ut nihil omnino pereat ex his, quæ pertinent ad filios Iſrael. *Ibid.* 9. 4. Fecit ergo Dominus verbum altera die: mortuaque ſunt omnia animantia Ægyptiorum: de animalibus vero filiorum Iſrael nihil omnino periit. v. 6. Tantum in terra Geſſen: ubi erant filii Iſrael grando non cecidit. v. 26.

Sin autem reſiſtis, & non vis dimittere eum: ecce ego inducam cras locuſtam in fines tuos: quæ operiat ſuperficiem terræ, ne quidquam ejus appareat, ſed comedatur, quod reſiduum fuerit grandini: corrodet enim omnia ligna, quæ germinant in agris. Et implebunt domus tuas & ſervorum tuorum, & omnium Ægyptiorum: quantam non viderunt patres tui & avi, ex quo orti ſunt ſuper terram, uſque in præſentem diem, &c. *Ibid.* 10. 4. Cuncti greges pergent nobiſcum: non remanebit ex eis ungula: quæ neceſſaria ſunt in cultum Domini Dei noſtri, præſertim cum ignoremus quid debeat immolari, donec ad ipſum locum perveniamus. verſ. 26.

Nemo vidit fratrem ſuum, nec movit ſe de loco in quo erat: ubicumque autem habitabant filii Iſrael, lux erat. *Ibid.* 10. 23

Apud omnes autem filios Iſrael non mutiet canis ab homines uſque ad pecus: ut ſciatis quanto miraculo dividebat Dominus Ægyptios & Iſrael. *Ibid.* 11. 7

*Loquens Dominus ad Moyſen & Aaron, ait*: Separamini de medio congregationis hujus, ut eos repente diſperdam. *Num.* 16. 20. Dixit ad turbam: Recedite a tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum, &c. v. 26. Confeſtim igitur ut ceſſavit loqui, dirupta eſt terra ſub pedibus eorum. v. 31.

Et liberabo te in illa die, ait Dominus: & non traderis in manus virorum quos tu formidas: ſed eruens liberabo te, & gladio non cades: ſed erit tibi anima tua in ſalutem, quia in me habuiſti fiduciam, ait Dominus. *Jerem.* 39. 17

Deus meus miſit Angelum ſuum, & concluſit ora Leonum, & non nocuerunt mihi: quia coram eo juſtitia inventa eſt in me: ſed & coram te, Rex, delictum non feci. *Dan.* 6. 12

Et civitates Sodomorum & Gomorrhæorum in cinerem redigens, everſione damnavit: Exemplum eorum, qui impie acturi ſunt, ponens: & juſtum Loth oppreſſum a nefandorum injuria, ac luxurioſa converſatione eripuit. 2. *Pet.* 2. 1

*Fideles tenentur paſtoribus ſuis neceſſaria tribuere, & pro eis orare.*
*Vide Eccleſia: item Evangelizans.*

## TITULUS XIII.

*Infidelitas, ſeu incredulitas punitur.*

ET eos, qui foris erant, percuſſerunt cæcitate a minimo uſque ad maximum, ita ut oſtium invenire non poſſent. *Gen.* 11. 11. Eduxeruntque eum, & poſuerunt extra civitatem: ibique locuti ſunt ad eum, dicentes: Salva animam tuam: noli reſpicere poſt tergum, nec ſtes in omni circa regione: ſed in montem ſalvum te fac, ne & tu ſimul pereas. Ibid. v. 17. Reſpicienſque uxor ejus poſt ſe, verſa eſt in ſtatuam ſalis. Ibid. v. 26. Sap. 10. 6. Cap. 19. 16

Et ait Moyſes (*ad Dominum*): Sexcenta millia peditum hujus populi ſunt, & tu dicis: Dabo eis eſum carnium menſe integro? *Num.* 11. 21

Igitur vociferans omnis turba flevit nocte illa, & murmurati ſunt contra Moyſen & Aaron

cuncti

cuncti filii Iſrael, dicentes: Utinam mortui eſſemus in Ægypto: & in hac vaſta ſolitudine utinam pereamus. *Num.* 14. 1

Et dixit Dominus ad Moyſen: Uſquequo detrahit mihi populus iſte? Quouſque non credent mihi in omnibus ſignis, quæ feci coram eis? Feriam igitur eos peſtilentia, atque conſumam. *Ibid.* v. 11

Dixitque Dominus ad Moyſen & Aaron: Quia non credidiſtis mihi, ut ſanctificaretis me coram filiis Iſrael, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis. *Ibid.* 20. 12

Reſpondens unus de ducibus --- homini Dei ait: Si Dominus fecerit etiam cataractas in cælo, numquid poterit eſſe quod loqueris? Qui ait: Videbis oculis tuis, & inde non comedes. 4. *Reg.* 7. 2. *adduxit Propheta ducem hunc ad portam, ubi impletus eſt ſermo, quem vir Dei dixerat, & ibi hic incredulus conculcatus eſt a turba.* Ibid. v. 17

Adverſum Aaron quoque vehementer iratus, voluit eum conterere, & pro illo ſimiliter deprecatus ſum. *Deut.* 9. 20

Quoniam omnis incredulus in incredulitate ſua morietur. *Eſdr.* 15. 4

In omnibus his peccaverunt adhuc: & non crediderunt in mirabilibus ejus. *Pſal.* 77. 32

Væ, diſſolutis corde, qui non credunt Deo; & ideo non protegentur ab eo. *Eccli.* 2. 15

Et acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus, & ſuſcitaverunt eum, dicentes: Domine, ſalva nos, perimus. Et dicit eis Jeſus: Quid timidi eſtis, modicæ fidei? *Matth.* 8. 25. Item c. 14. 30. Marc. 4. 40. Luc. 8. 25

Reſpondens autem Jeſus, ait: O generatio incredula, & perverſa, quouſque ero vobiſcum? uſquequo patiar vos? *Ibid.* 17. 16

Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur. *Marc.* 16. 16

Et ecce eris tacens, & non poteris loqui uſque in diem quo hæc fiant, pro eo quod non credidiſti verbis meis, quæ implebuntur in tempore ſuo. *Luc.* 1. 20

Et ipſe dixit ad eos: O ſtulti & tardi corde ad credendum, &c. *Ib.* 24. 25. Matth. 13. 58. c. 17. 19

Qui credit in eum, non judicatur: qui autem non credit, jam judicatus eſt: quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei. *Joan.* 3. 18

Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus eſt Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum. *Ibid.* v. 36

Reſpondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, ut unuſquiſque modicum quid accipiat. *Ibid.* 6. 7

Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis veſtris: ſi enim non credideritis, quia ego ſum, moriemini in peccato veſtro. *Ibid.* 8. 24

Qui ſpernit me, & non accipit verba mea: habet qui judicet eum: ſermo quem locutus ſum, ille judicabit eum in noviſſimo die. *Ibid.* 12. 48

Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum: & noli eſſe incredulus, ſed fidelis. *Ibid.* 20. 27

Bene: propter incredulitatem fracti ſunt. Tu autem fide ſtas: noli altum ſapere, ſed time. *Rom.* 11. 20

Propter quæ venit ira Dei ſuper filios incredulitatis. *Coloſſ.* 3. 6

Quibus autem juraſti non introire in requiem ipſius, niſi illis, qui increduli fuerunt? *Hebr.* 3. 18. & c. 4. 2

Feſtinemus ergo ingredi in illam requiem, ut ne in idipſum quis incidat incredulitatis exemplum. *Ibid.* 4. 11

Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo. *Ibid.* 11. 6

Timidis autem, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure: quod eſt mors ſecunda. *Apoc.* 21. 8

## TITULUS XIV.

*Fiducia.*

DIxit autem Jonathas ad adoleſcentem armigerum ſuum: Veni --- quia non eſt Domino difficile ſalvare vel in multis, vel in paucis. 1. *Reg.* 14. 6

*Magna fiducia verbum fuit, cum pugnaturus David contra Goliath gigantem dixit*, Tu venis ad me cum gladio, & haſta, & clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini &c. *Ib.* 17. 45 Vide & v. 37.

*Dixit Joſaphat rex Juda exercitui ſuo, ad pugnam congregato*: Credite in Domino Deo veſtro, & ſecuri eritis: credite Prophetis ejus, & cuncta evenient proſpera. 2. *Par.* 20. 20

*Itidem magna fiducia verbum Aſa*: Domine, non eſt apud te ulla diſtantia, utrum in paucis auxilieris, an in pluribus. *Ibid.* 14. 11

*Eſdras venturus in Jeruſalem, propter magnam & periculoſam viam, noluit petere conductum a rege, ſed convertit ſe ad jejunium & orationem.* 1. *Eſdr.* 8. 21

vi-



*Videns Nehemias tot imminere pericula & labores, ædificantibus dixit*: Deus noſter pugnabit pro nobis. Et nos ipſi faciamus opus. 2. *Eſdr.* 4. 20. *Vide* v. 14

*Magna fiducia verbum ſociorum Danielis ad regem Nabuchodonoſor*: Ecce enim Deus noſter, quem colimus, poteſt eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, o rex, liberare; quod ſi noluerit, notum ſit tibi rex, quia deos tuos non colimus. *Dan.* 3. 17

*Dixit Judas Machabæus ſociis timidis*: Facile eſt concludi multos in manus paucorum: & non eſt differentia in conſpectu Dei Cæli liberare in multis, & in paucis. Quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, ſed de cælo fortitudo eſt. 1. *Mach.* 3. 18

*Mulier fluxum ſanguinis patiens fiducialiter intra ſe ait*: Si tetigero tantum veſtimentum ejus, ſalva ero. *Matth.* 9. 21

## TITULUS XV.

*Filius & Filia.*

*Filiorum officium erga parentes.*

AT vero Sem & Japhet pallium impoſuerunt humeris ſuis — facieſque eorum averſæ erant, & patris virilia non viderunt. *Gen.* 9. 23

Dixit Iſaac patri ſuo: Pater mi. At ille reſpondit: Quid vis fili? Ecce, inquit, ignis & ligna, ubi eſt victima holocauſti? *Ibid.* 22. 7

Senuit autem Iſaac, & caligaverunt oculi ejus, & videre non poterat: vocavitque Eſau filium ſuum majorem, & dixit ei: Fili mi? Qui reſpondit: Adſum. *Ibid.* 27. 1

Obediens Jacob parentibus ſuis, *ne accipiat uxorem de filiabus Chanaam; ivit* in Syriam. *Ibid.* 28. 7. *Vide* Judic. 14. 1

*Dixit Jacob ad Joſeph filium*: Veni, mittam te *in Sichem. Et reſpondit Joſeph patri*: *Ecce*, præſto ſum. *Ibid.* 37. 13

Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi. *Exod.* 20. 12. *Idem* Deut. 5. 16. *verbatim.*

Qui maledixerit patri ſuo, vel matri, morte moriatur. *Ibid.* 21. 17

Unuſquiſque patrem ſuum, & matrem ſuam timeat. *Lev.* 19. 3. Coram cano capite conſurge, & honora perſonam ſenis: & time Dominum Deum tuum: ego ſum Dominus. Ibid. v. 32

Qui maledixerit patri ſuo, aut matri, morte moriatur: patri matrique qui maledixerit, ſanguis ejus ſit ſuper eum. *Ibid.* 20. 9

Sacerdotis filia ſi deprehenſa fuerit in ſtupro, & violarit nomen patris ſui, flammis exuretur. *Ibid.* 21. 9

Si genuerit homo filium contumacem & protervum, qui non audiat patris & matris imperium, & coercitus obedire contempſerit: apprehendent eum, & ducent ad ſeniores civitatis illius, & ad portam judicii, dicentque ad eos: Filius noſter iſte protervus, & contumax eſt, monita noſtra audire contemnit, commeſſationibus vacat, & luxuriæ atque conviviis: lapidibus eum obruet populus civitatis, & morietur, ut auferatis malum de medio veſtri, & univerſus Iſrael audiens pertimeſcat. *Deut.* 21. 10

Maledictus, qui non honorat patrem ſuum & matrem: & dicet omnis populus: Amen. *Ibid.* 27. 16

Porro filii Heli, (*erant*) fili Belial, neſcientes Dominum. 1. *Reg.* 2. 12. *Vide & v.* 22

Puer autem Samuel miniſtrabat Domino coram Heli, & ſermo Domini erat pretioſus in diebus illis: non erat viſio manifeſta, &c. *Ibid.* 3. 1. Porro Samuel necdum ſciebat Dominum, neque revelatus fuerat ei ſermo Domini. Ibid. v. 7

Factum eſt autem cum ſenuiſſet Samuel, poſuit filios ſuos judices in Iſrael. *Ibid.* 8. 1

Egrediebatur quoque David ad omnia, quæcumque miſiſſet eum Saul, & prudenter ſe agebat: poſuitque eum Saul ſuper viros belli, & acceptus erat in oculis univerſi populi, maximeque in conſpectu famulorum Saul. *Ibid.* 18. 5

Venit ergo Bethſabee ad regem Salomonem, ut loqueretur ei pro Adonia *filio*: & ſurrexit Rex in occurſum ejus, adoravitque eam, & ſedit ſuper thronum ſuum: poſituſque eſt thronus matris regis, quæ ſedit ad dexteram ejus. 3. *Reg.* 2. 19

Aſcendit autem inde in Bethel (*Eliſeus*): Cumque aſcenderet per viam, pueri parvi egreſſi ſunt de civitate, & illudebant ei, dicentes: Aſcende Calve, aſcende Calve! Qui cum reſpexiſſet, vidit eos, & maledixit eis in nomine Domini: egreſſique ſunt duo urſi de ſaltu, & laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros. 4. *Reg.* 2. 23

Fecitque Joas rectum coram Domino cunctis diebus, quibus docuit eum Jojada ſacerdos. *Ibid.* 12. 2

Octavo autem anno regni ſui, cum adhuc eſſet puer (*Joſias*) cœpit quærere Deum patris ſui David: & duodecimo anno poſtquam regnare cœperat, mundavit Judam & Jeruſalem ab excelſis, & lucis: ſimulacriſque & ſculptilibus. 2. *Paral.* 34. 3

Filii ſapientiæ, Eccleſia juſtorum: & natio illorum, obedientia & dilectio: Judicium patris audite filii, & ſic facite ut ſalvi ſitis. Deus enim honoravit patrem in filiis: & judicium

matris

matris exquirens, firmavit in filios. *Eccli.* 3. 1. Qui timet Dominum, honorat parentes, & quaſi dominis ſerviet his, qui ſe genuerunt. Ibid. v. 8

In opere, & ſermone, & omni patientia honora patrem tuum; ut ſuperveniat tibi benedictio ab eo, & benedictio illius in noviſſimo maneat. &c. *Eccli.* 3. v. 9. *Vide de hoc c.* a v. 1. *uſque* 20. *pulcherrime noſtram materiam tractans.*

Fili, a juventute tua excipe doctrinam, & uſque ad canos invenies ſapientiam. *Ibid.* 6. 18

Honora patrem tuum, & gemitus matris tuæ ne obliviſcaris. *Ibid.* 7. 29

Confuſio patris eſt de filio indiſciplinato: filia autem in deminoratione fiet. *Ibid.* 22. 3

Memento patris & matris tuæ, in medio enim magnatorum conſiſtis, &c. *Ibid.* 23. 18

Homo, qui jucundatur in filiis, vivens & videns ſubverſionem inimicorum ſuorum. *Ibid.* 25. 10

Fili, ſine conſilio nihil facias, & poſt factum non pœnitebis. *Ibid.* 32. 24

Igitur cum Tobias putaret orationem ſuam exaudiri, ut mori potuiſſet, vocavit ad ſe Tobiam filium ſuum, dixitque ei: Audi fili mi verba oris mei, & ea in corde tuo quaſi fundamentum conſtrue, &c. *Tob.* 4. 1. *Idem fere habetur* cap. 14. 5

*Filii Job convivia faciebant per domos: ſed pater ſanctificabat illos, & offerebat holocauſta, ſi forte peccaverint, &c. Job* 1. 4

Audi fili mi diſciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo. *Prov.* 1. 8

Audite filii diſciplinam patris, & attendite ut ſciatis prudentiam, &c. *Ibid.* 4. 1

Conſerva fili mi præcepta patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ. Liga ea in corde tuo jugiter, & circumda gutturi tuo. *Ibid.* 6. 20

Filius ſapiens lætificat patrem: filius vero ſtultus mœſtitia eſt matris ſuæ. *Ibid.* 10. 1. *Idem fere* c. 15. 20

Filius ſapiens, doctrina patris: qui autem illuſor eſt, non audit cum arguitur. *Ibid.* 13. 1

Nec Pater in fatuo (*filio*) lætabitur. *Ibid.* 14. 21

Qui affligit patrem, & fugat matrem ignominioſus eſt & infelix. *Ibid.* 19. 16

Ex ſtudiis ſuis intelligitur puer, ſi munda & recta ſint opera ejus. *Ibid.* 20. 11

Qui maledicit patri ſuo & matri, extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris. *Ibid.* 20. 20

Stultitia colligata eſt in corde pueri: & virga diſciplinæ fugabit eam. *Ibid.* 22. 15

Audi fili mi, & eſto ſapiens: & dirige in via animum tuum. *Ibid.* 23. 19. Exultat gaudio pater juſti: qui ſapientem genuit, lætabitur in eo. Gaudeat pater tuus & mater tua, exultet quæ genuit te. *Ibid.* v. 24

Qui ſubtrahit aliquid a patre ſuo, & a matre, & dicit hoc non eſſe peccatum, particeps homicidæ eſt. *Ibid.* 28. 24

Oculum, qui ſubſannat patrem, & qui deſpicit partum matris ſuæ, effodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filii aquilæ. *Ibid.* 30. 17. *Vide & v.* 19

Firmaverunt igitur filii Jonadab, filii Rechab præceptum patris ſui, quod præceperat eis: populus autem iſte non obedivit mihi. *Jer.* 35. 16

Veni enim ſeparare hominem adverſus patrem ſuum, & filiam adverſus matrem ſuam, & nurum adverſus ſocrum ſuam; & inimici hominis domeſtici ejus. Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non eſt me dignus. *Matth.* 10. 35. Mich. 7. 6. Luc. 14. 26

Honora patrem & matrem: & qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. *Ibid.* 15. 4 Marc. 7. 10

Honora patrem tuum, & matrem tuam: &, Diliges proximum tuum ſicut teipſum. *Ibid.* 19. 19

Præcepta noſti: Ne adulteres, ne occidas, ne fureris, ne falſum teſtimonium dixeris, ne fraudem feceris. Honora patrem tuum & matrem. *Marc.* 10. 19. Luc. 2. 48. cap. 18. 20. *Idem verbatim habetur.*

Filii, obedite parentibus veſtris in Domino: hoc enim juſtum eſt. *Ephef.* 6. 1

Honora patrem tuum & matrem tuam, quod eſt mandatum primum in promiſſione: ut bene ſit tibi, & ſis longævus ſuper terram. *Ibid.* v. 2. Deut. 5. 16

Filii obedite parentibus per omnia: hoc enim placitum eſt in Domino. Patres nolite ad indignationem provocare filios veſtros, ut non puſillo animo fiant. *Coloſſ.* 3. 20

Seniorem ne increpaberis, ſed obſecra ut patrem: juvenes ut fratres: anus ut matres: juvenculas, ut ſorores, in omni caſtitate. 1. *Tim.* 5. 1

Similiter adoleſcentes ſubditi eſtote ſenioribus. 1. *Pet.* 5. 5

*Filii in bonis ſunt inſtituendi, ut Deum timeant.*

*Vide & Parentum officium. Item Liberorum Eruditio.*

HOnora patrem tuum & matrem, ſicut præcepit tibi Dominus Deus tuus, ut longo vivas tempore, & bene ſit tibi in terra, quam Dominus Deus tuus daturus eſt tibi. *Deut.* 5. 16. Exod. 20. 12

Omnibus autem diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum: & cave, ne aliquando peccato conſentias, & prætermittas præcepta Domini Dei noſtri. *Tob.* 4. 6

Audite ergo filii mei patrem veſtrum. Servite Domino in veritate, & inquirite, ut faciatis



tis quæ placita ſunt illi. Et filiis veſtris mandate, ut faciant juſtitias & eleemoſynas, ut ſint memores Dei, & benedicant eum in omni tempore in veritate, & in tota virtute ſua. *Tob.* 14. v. 10. & 11

Quanta mandavit patribus noſtris nota facere ea filiis ſuis: ut cognoſcat generatio altera. Filii, qui naſcentur, & exurgent, & narrabunt filiis ſuis: ut ponant in Deo ſpem ſuam, & non obliviſcantur operum Dei: & mandata ejus exquirant. *Pſal.* 77. 6

Audi fili mi diſciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ: ut addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo. *Prov.* 1. 8

In timore Domini fiducia fortitudinis, & filiis ejus erit ſpes. *Ibid.* 14. 26

Juſtus, qui ambulabat in ſimplicitate ſua, beatos poſt ſe filios derelinquet. *Ibid.* 20. 7

Audi fili mi, & eſto ſapiens: & dirige in via animum tuum. *Ibid.* 23. 19

Puer autem eram ingenioſus, & ſortitus ſum animam bonam. *Sap.* 8. 19

Ne jucunderis in filiis impiis, ſi multiplicentur: ne oblecteris ſuper ipſos, ſi non eſt timor Dei in illis. Non credas vitæ illorum, & ne reſpexeris in labores eorum. Melior eſt enim unus timens Deum, quam mille filii impii. Et utile eſt mori ſine filiis, quam relinquere filios impios. *Eccli.* 16. 1

Pater filiis notam faciet veritatem tuam. *Iſa.* 38. 19

Filii obedite parentibus veſtris in Domino: hoc enim juſtum eſt. *Ephef.* 6. 1

Et vos patres, nolite ad iracundiam provocare filios veſtros: ſed educate illos in diſciplina, & correptione Domini. *Ibid.* v. 4

*Vitia caveant.*

FIlio doloſo nihil erit boni. *Prov.* 14. 15

Servus ſapiens dominabitur filiis ſtultis, & inter fratres hereditatem dividet. *Ib.* 17. 2

Natus eſt ſtultus in ignominiam ſuam: ſed nec pater in fatuo lætabitur. *Ib.* v. 21.

Ira patris, filius ſtultus: & dolor matris, quæ genuit eum. *Ibid.* v. 25

Qui cuſtodit legem, filius ſapiens eſt: qui autem comeſſatores paſcit, confundit patrem ſuum. *Ibid.* 28. 7

Filii tibi ſunt? erudi illos, & curva illos a pueritia illorum. Filiæ tibi ſunt? ſerva corpus illarum, & non oſtendas hilaris hilarem faciem tuam ad illas. Trade filiam, & grande opus feceris, & homini ſenſato da illam. *Eccli.* 7. 25

Confuſio patris eſt de filio indiſciplinato: Filia autem (*fatua*) in deminoratione fiet. *Ib.* 22. 5

Filia prudens hereditas viro ſuo, *at vivens turpiter mæſtitiam affert genitori. Imprudens patrem & virum efficit ignominia. Ibid.* v. 4

A filiis tuis cave, & a domeſticis tuis attende. *Ibid.* 32. 26

Lacta filium, & paventem te faciet: lude cum eo, & contriſtabit te. Non corrideas illi, ne doleas, & in noviſſimo obſtupeſcent dentes tui. *Ibid.* 30. 9

Non des illi (*filio*) poteſtatem in juventute, & ne deſpicias cogitatus illius, &c. *Ib.* v. 11

Filio & mulieri, fratri & amico, non des poteſtatem ſuper te in vita tua. *Ibid.* 33. 20

Melius eſt enim, ut filii tui te rogent, quam te reſpicere in manus filiorum tuorum. *Ib.* v. 22

Non dederis alii poſſeſſionem tuam: ne forte pœniteat te, & depreceris pro illis. *Ib.* v. 20

Filia patris abſcondita eſt vigilia, & ſollicitudo ejus aufert ſomnum, ne forte in adoleſcentia ſua adultera efficiatur, & cum viro commorata, odibilis fiat: ne quando polluatur in virginitate ſua, & in paternis ſuis gravida inveniatur: ne forte cum viro commorata tranſgrediatur, aut certe ſterilis efficiatur. *Ibid.* 42. 9

Super filiam luxurioſam confirma cuſtodiam: ne quando faciat te in opprobrium venire inimicis, a detractione in civitate & objectione plebis, & confundat te in multitudine populi. *Ibid.* v. 11

Juvenes ſimiliter hortare, ut ſobrii ſint. *Tit.* 2. 6

*Honeſte ſe habeant.*

FIlius ſapiens lætificat patrem: filius vero ſtultus mœſtitia eſt matris ſuæ. *Prov.* 10. 1. c. 15. 20

Exultat gaudio pater juſti: qui ſapientem genuit, lætabitur in eo. Gaudeat pater tuus, & mater tua, & exultet quæ genuit te. *Ibid.* 23. 24

Rurſus deteſtatus ſum omnem induſtriam meam, qua ſub ſole ſtudioſiſſime laboravi, habiturus heredem poſt me, quem ignoro, utrum ſapiens an ſtultus futurus ſit, & dominabitur in laboribus meis, quibus deſudavi, & ſollicitus fui. *Eccleſ.* 2. 18

Ex iniquis enim omnes filii qui naſcuntur, teſtes ſunt nequitiæ adverſus parentes in interrogatione ſua. *Sap.* 4. 6

In filiis ſuis agnoſcitur vir. *Eccli.* 11. 30

In filia non avertente ſe, firma cuſtodiam: ne inventa occaſione utatur ſe. Ab omni irreverentia oculorum ejus cave, ne mireris, ſi te neglexerit. *Ibid.* 26. 13

*Pro illis corrigendis.*

SI genuerit homo filium contumacem & protervum, qui non audiat patris ac matris imperium, & coercitus obedire contempſerit: apprehendent eum, & ducent ad ſeniores civi-

civitatis illius, & ad portam judicii, dicentque ad eos: Filius noſter iſte protervus & contumax eſt, monita noſtra audire contemnit, comeſſationibus vacat, & luxuriæ atque conviviis: lapidibus eum obruet populus civitatis, & morietur, ut auferatis malum de medio veſtri, & univerſus Iſrael audiens pertimeſcat. *Deut.* 21. 18

Filii abominationum fiunt filii peccatorum, & qui converſantur ſecus domos impiorum. Filiorum peccatorum periet hereditas, & cum ſemine illorum aſſiduitas opprobrii. *Eccli.* 41. 8

De patre impio queruntur filii: quoniam propter illum ſunt in opprobrio. *Ibid.* v. 10.

*Fletus. Vide Lacrima.*

## TITULUS XVI.

*Fenum, & herba cito tranſiens omnis homo. Vide & Homo.*

MAne ſicut herba tranſeat, mane floreat, & tranſeat: veſpere decidat, induret, & areſcat. *Pſal.* 89. 6

Fiant ſicut fenum tectorum, quod priuſquam evellatur, exaruit. *Ibid.* 128. 6

Et ego ſicut fenum arui. *Ibid.* 101. 12

Vox dicentis: Clama. Et dixi: Quid clamabo? Omnis caro fenum, & omnis gloria ejus quaſi flos agri. Exſiccatum eſt fenum, & cecidit flos, quia Spiritus Domini ſufflavit in eo. Vere fenum eſt populus: exſiccatum eſt fenum, & cecidit flos: verbum autem Domini noſtri manet in æternum. *Iſa.* 40. 6

Omnis caro ſicut fenum veteraſcet, & ſicut folium fructificans in arbore viridi. *Eccli.* 14. 18

Quia omnis caro ut fenum: & omnis gloria ejus tamquam flos feni; exaruit fenum, & flos ejus decidit. 1. *Pet.* 1. 24

Glorietur autem frater humilis in exaltatione ſua: dives autem in humilitate ſua, quoniam ſicut flos feni tranſibit. Exortus eſt enim ſol cum ardore, & areſecit fenum, & flos ejus decidit, & decor vultus ejus deperiit, ita & dives in itineribus ſuis marceſcet. *Jac.* 1. 9

*Fenus. Vide & uſura.*

## TITULUS XVII.

*Fenerationis conditio bona, &c.*

SI pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum, quaſi exactor, nec uſuris opprimes. *Exod.* 22. 25

Non fenerabis fratri tuo ad uſuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem: ſed alieno. *Deut.* 23. 19

Fratri autem tuo abſque uſura, id quod indiget commodabis: ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere tuo in terra, ad quam ingrediaris poſſidendam. *Ibid.* v. 20.

Fenerare proximo tuo in tempore neceſſitatis illius, & iterum redde proximo in tempore ſuo. Confirma verbum, & fideliter age cum illo: & in omni tempore invenies quod tibi neceſſarium eſt, &c. *Eccli.* 29. 2

Perde pecuniam propter fratrem & amicum tuum: & non abſcondas illam ſub lapide in perditionem. *Ibid.* v. 13

*Mala.*

HOdie feneratur quis, & cras expetit: odibilis eſt homo hujuſmodi. *Ibid.* 20. 16

*Feneratio eſt periculoſa, quoad accipientem.*

QUi accipit mutuum, ſervus eſt fenerantis. *Prov.* 22. 7

Multi non cauſſa nequitiæ, non fenerati ſunt, ſed fraudari gratis timuerunt. *Eccli.* 29. 10

*Quoad facientem.*

NOli fenerari homini fortiori te: quod ſi feneraveris, quaſi perditum habe. *Ibid.* 8. 15

Multi quaſi inventionem æſtimaverunt fenus, & præſtiterunt moleſtiam iis, qui ſe adjuverunt. Donec accipiant, oſculantur manus dantis, & in promiſſionibus humiliant vocem ſuam. Et in tempore redditionis poſtulabit tempus, & loquetur verba tædii, & murmurationum, & tempus cauſſabitur. Si autem potuerit reddere, adverſabitur, ſolidi vix reddet dimidium, & computabit illud quaſi inventionem. *Ibid.* 29. 4

## TITULUS XVIII.

*Forma corporis.*

R*Ebecca erat* decora nimis, virgoque pulcherrima, *ſed ſimul caſtiſſima & humillima, adeo ut ſervo Abrahami, ejuſque camelis ex puteo aquam hauriret: ita & Joſeph. Gen.* 24. 16. Ibid. 39. 6

*Samſon, cetera fortiſſimus, forma Dallila rapitur, ſed deceptus ab illa inimicis ſuis traditur. Judic.* 16. 6

*Erat Abſalon pulcherrimus* in omni Iſrael, & decorus nimis: a veſtigio pedis uſque ad verticem



cem non erat in eo ulla macula: *præ ceteris vane ſibi complacebat in capillis ſuis. Sed pulcritudinem ſuam multis vitiis fœdavit, & ipſi capilli ejus exitio ei fuerunt.* 2. *Reg.* 14. 20. Vide c. 18. 9

*Thamar ſpecioſiſſima, quia nimium fideret fratri ſuo Amnon, ab eo fuit oppreſſa & ſtuprata, ſed dein odio habita & e domo ejecta. Ibid.* 13. 2. & 15.

Erat autem *Judith* eleganti aſpectu nimis, *ſed & caſtitatis amans: & hac ſua pulcritudine liberavit urbem ſuam ab excidio. Judith.* 8. 7. c. 10. & ſeq.

*Eſther* pulcra nimis & decora facie, *immo incredibili pulcritudine. Eſth.* 2. 7. *tamen noluit* muliebrem cultum. Ibid. v. 15. Vide eodem v. 15.

Virginem ne conſpicias, ne forte ſcandalizeris in decore illius. *Eccli.* 9. 5. Vide tot. cap. & Gen. 6. 2.

## TITULUS XIX.

*Formido & puſillanimitas. Vide & Puſillanimitas, item timor humanus.*

C*Um dixiſſent Angeli ad Loth*: In monte ſalvum te fac, *reſpondit*: Non poſſum in monte ſalvari, ne forte apprehendat me malum; *tunc pejus ei accidit. Gen.* 19. 17. Vide v. 30. ſeq.

*Videntes filii Iſrael Ægyptios perſequentes ſe, timuerunt valde, licet vidiſſent tot miracula facta pro eis poteſtate divina. Exod.* 14. 10

*Loquente Domino Moyſi in monte*, Populus videbat voces, & lampades, & ſonitum buccinæ, montemque fumantem: & perterriti ac pavore percuſſi, ſteterunt procul, dicentes Moyſi: Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur, &c. *Ibid.* 20. 18

*Revelatione facta de conditionibus terræ promiſſionis, quæ habebat cultores fortiſſimos, & urbes grandes atque muratas, dixerunt quidam de populo*: Utinam mortui eſſemus in Ægypto, & *præ formidine dixerunt*: *Nuntii terruerunt nos. Num.* 13. & 14. Vide Deut. 1. 28

Quis eſt homo formidoloſus & corde pavido? vadat & revertatur in domum ſuam, ne pavere faciat corda fratrum ſuorum, ſicut ipſe timore preterritus eſt. *Deut.* 20. 3. Idem Judic. 7. 3

Dabit enim tibi Dominus ibi cor pavidum & deficientes oculos, & animam conſumptam mœrore: & erit vita tua quaſi pendens ante te, &c. *Ibid.* 28. 65

Mane dices: Quis mihi det veſperum? & veſpere: quis mihi det mane? propter cordis tui formidinem, qua terreberis, & propter ea quæ tuis videbis oculis. *Ibid.* v. 67

*Exploratoribus, qui venerant ex parte Joſue, dixit Rachab*: Novi, quod Dominus tradiderit vobis terram: etenim irruit in nos terror veſter, & elanguerunt omnes habitatores terræ. *Joſue* 2. 9

*Gabaonitæ, audientes cuncta quæ fecerat Joſue Jericho & Hai timuerunt, & venientes ad Joſue, fecerunt pactum ad voluntatem ipſius. Ibid.* 9

*Saul & omnes Iſraelitæ audientes ſermones Goliath Philiſthæi, ſingulare certamen petentis*, metuebant & ſtupebant nimis. 1. *Reg.* 17. 11

Congregavit autem & Saul univerſum Iſrael, & venit in Gelboe. Et vidit Saul caſtra Philiſthiim, & timuit, & expavit cor ejus nimis. *Ibid.* 28. 4

Porro Roboam erat rudis, & corde pavido. 2. *Par.* 13. 9

Cumque omnis exercitus decollatum Holofernem audiſſet, fugit mens & conſilium ab eis, & ſolo tremore & metu agitati, fugæ præſidium ſumunt. *Judith.* 15. 1

Beſtias terræ non formidabis. *Job* 5. 22

Undique terrebunt eum formidines, & involvent pedes ejus. *Ibid.* 18. 11

Exſpectabam eum, qui ſalvum me fecit a puſillanimitate ſpiritus & tempeſtate. *Pſ.* 54. 9

Ne paveas repentino terrore, & irruentes tibi potentias impiorum. *Prov.* 3. 25

Leo fortiſſimus beſtiarum ad nullius pavebit occurſum. *Ibid.* 30. 30

Noli eſſe puſillanimis in animo tuo. *Eccli.* 7. 9

*Nuntiatum eſt domui David, quod rex Iſrael, & rex Syriæ confœderati præliaturi ſint contra Jeruſalem*: & commotum eſt cor ejus, & cor populi ejus, ſicut moventur ligna ſilvarum a facie venti. *Iſa.* 7. 2

Dominum exercituum ipſum ſanctificate: & ipſe pavor veſter, & ipſe terror veſter: & erit vobis in ſanctificationem. *Ibid.* 8. 2

Formido, & fovea, & laqueus ſuper te, qui habitator es terræ. *Ibid.* 24. 17

Dicite puſillanimis: Confortamini, & nolite timere. *Ibid.* 35. 4

Non ſis tu mihi formidini, ſpes mea tu in die afflictionis. *Jerem.* 15. 17

Paveant illi, & non paveam ego. *Ibid.* v. 18

Non formidabunt ultra, & non pavebunt. *Ibid.* 23. 4

Et non erit, quem formidet: quoniam tecum ego ſum, ait Dominus, ut ſalvem te. *Ibid.* 30. 10. Vide totum verſum.

Noli timere a facie regis Babylonis (*diaboli*) quem vos pavidi formidatis: nolite metuere eum, dicit Dominus: quia vobiſcum ſum ego, ut ſalvos vos faciam, &c. *Ibid.* 42. 11

Ne

Ne timueritis multitudinem eorum, & impetum eorum ne formidetis. *1. Mach. 4.8*

Da illis formidinem, & tabefac audaciam virtutis eorum, & commoveantur contritione ſua. *Ibid. v. 32*

Quid timidi eſtis, modicæ fidei? *Matth. 8. 26*

*Ambulans ſuper mare Petrus*, Videns vero ventum validum, timuit. *Ibid. 14. 30*

*Parentes cæci nati, a Domino illuminati, reſponderunt timide Phariſæis. Joan. 9.22*

Non turbetur cor veſtrum, neque formidet. *Ibid. 14. 27*

Conſolamini puſillanimes. *1. Theſſ. 5. 14*

## TITULUS XX.

*Fornicatio. Vide & Adulterium.*

*Fornicatio iram Dei provocat.*

EJicient eam extra fores (*ſcilicet ſi amiſerit virginitatem*) domus patris ſui, & lapidibus obruent viri civitatis illius, & morietur: quoniam fecit nefas in Iſrael, ut fornicaretur in domo patris ſui: & auferes malum de medio tui. *Deut. 22. 21*

Fovea enim profunda eſt meretrix, & puteus anguſtus, aliena. *Prov. 23. 27*

Qui ſe jungit fornicariis, erit nequam: putredo & vermes hereditabunt illum, & extolletur in exemplum majus, & tolletur de numero anima ejus. *Eccli. 19. 3*

Super quo propitius tibi eſſe potero? filii tui dereliquerunt me, & jurant in his, qui non ſunt dii: ſaturavi eos, & mœchati ſunt, & in domo meretricis luxuriabantur. *Jer. 5. 7*

Non viſitabo ſuper filias veſtras, cum fuerint fornicatæ, & ſuper ſponſas veſtras cum adulteraverint: quoniam ipſi cum meretricibus converſabantur, & cum effeminatis ſacrificabant, & populus non intelligens vapulabit. *Oſee 4. 14*

Quod ſi non ſe continent, nubant. Melius eſt enim nubere, quam uri. *1. Corinth. 7. 9.* Coloſſ. 3. 5

Neque fornicarii, — neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores — regnum Dei poſſidebunt. *1. Cor. 6. 9.* Vide porro v. 13. 15. 16. 18

Fornicatores autem & adulteros judicabit Deus. *Hebr. 13. 4*

*Corpus enervat, & facultates abſumit.*

NE attendas fallaciæ mulieris: favus enim diſtillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur ejus: noviſſima autem illius amara quaſi abſynthium, & acuta quaſi gladius biceps — *cave ergo*, Ne des alienis honorem tuum, & annos crudeli. Ne forte impleantur extranei viribus tuis, & labores tui ſint in Domo aliena. Et gemas in noviſſimis, quando conſumpſeris carnes tuas, & corpus tuum &c. *Prov. 5. 2.* Vide tot. Cap.

Fovea enim profunda eſt meretrix, & puteus anguſtus, aliena. *Ib. 23. 27.* Job 31. 12

Vir, qui amat ſapientiam, lætificat patrem ſuum: qui autem nutrit ſcorta, perdet ſubſtantiam. *Ibid. 29. 3.* Luc. 15. 13.

Ne dederis mulieribus ſubſtantiam tuam, & divitias tuas ad delendos reges. *Ib. 31. 3*

Ne des fornicariis animam tuam in ullo, ne perdas te, & hereditatem tuam. *Eccli. 9. 6.* Cap. 41. 21

*Fornicationis occaſiones vitandæ.*

CUm ſaltatrice ne aſſiduus ſis, nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius. *Eccl. 9. 4.* Cum aliena muliere ne ſedeas omnino, nec accumbas cum ea ſuper cubitum: & non alterceris cum illa in vino, ne forte declinet cor tuum in illam, & ſanguine tuo labaris in perditionem. Ibid. v. 12

Omni homini noli intendere in ſpecie, & in medio mulierum noli commorari: de veſtimentis enim procedit tinea, & a muliere iniquitas viri. *Ibid. 42. 12*

*Fornicatio non ſolum in opere externo, ſed & in affectu prohibetur.*

NOn concupiſces domum proximi tui: nec deſiderabis uxorem ejus, non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, nec omnia quæ illius ſunt. *Exod. 20. 17*

Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Non mœchaberis. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo. *Matth. 5. 27*

*Fornicatio infamiam adfert.*

OMnis mulier, quæ eſt fornicaria, quaſi ſtercus in via conculcabitur. *Eccli. 9. 10*

Erubeſcite a patre & matre de fornicatione: & a præſidente, & a potente de mendacio. *Ibid. 41. 21*

## TITULUS XXI.

*Fornicatio ſpiritualis, quæ eſt hæreſis & Idololatria.*

DIxitque Dominus ad Moyſen: Ecce tu dormies cum patribus tuis, & populus iſte conſurgens fornicabitur poſt deos alienos in terra, ad quam ingreditur, ut habitet in ea: ibi derelinquet me, & irritum faciet fœdus, quod pepigi cum eo. *Deut. 31. 16*

Suſci-



Suſcitavitque Dominus Judices, qui liberarent eos de vaſtantium manibus: ſed nec eos audire voluerunt, fornicantes cum diis alienis, & adorantes eos. *Judic. 2. 16*

Poſtquam autem mortuus eſt Gedeon, averſi ſunt filii Iſrael, & fornicati ſunt cum Baalim. Percuſſeruntque cum Baal fœdus, ut eſſet eis in deum. *Ibid. 8. 33*

Quomodo facta eſt meretrix civitas fidelis, plena judicii? juſtitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ. *Iſa. 1. 21*

Vos autem accedite huc filii auguratricis, ſemen adulteri, & fornicariæ. Super quem luſiſtis? ſuper quem dilataſtis os, & ejeciſtis linguam? numquid non vos filii ſceleſti, ſemen mendax? *Ibid. 57. 3*

Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen revertere ad me dicit Dominus. *Jerem. 3. 1*

Et recordabuntur mei liberati veſtri in Gentibus, ad quas captivi ducti ſunt: quia contrivi cor eorum fornicans, & recedens a me: & oculos eorum fornicantes poſt idola ſua: & diſplicebunt ſuper malis, quæ fecerunt in univerſis abominationibus ſuis. *Ezech. 6. 9.* Cap. 16. *totum*.

Et dixit Dominus ad Oſeæ: Vade, ſume tibi uxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum: quia fornicans fornicabitur terra a Domino. *Oſee 1. 2*

Et filiorum illius non miſerebor: quoniam filii fornicationum ſunt. Quia fornicata eſt mater eorum, confuſa eſt quæ concepit eos. *Ibid. 2. 4*

Si fornicaris tu Iſrael, non delinquat ſaltem Juda: & nolite ingredi in Galgala, & ne aſcenderitis in Bethaven, neque juraveritis: Vivit Dominus. Quoniam ſicut vacca laſciviens declinavit Iſrael. *Ibid. 4. 15.*

*Angelus* exclamavit in fortitudine, dicens: Cecidit Babylon magna: & facta eſt habitatio dæmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi, & cuſtodia omnis volucris immundæ, & odibilis: quia de vino iræ fornicationis ejus biberunt omnes gentes: & reges terræ cum illa fornicati ſunt: & mercatores terræ de virtute delitiarum ejus divites facti ſunt. *Apoc. 18. 2*

## TITULUS XXII.

*Fortitudo.*

A*Udiens Abraham nepotem ſuum Loth eſſe captum, aſſumptis vernaculis ſuis & aliis ſociis, irruit nocte ſuper quatuor reges, qui ceperant illum. Et percuſſis hoſtibus, reduxit Loth cum tota ſua ſubſtantia. Gen. 14. 13*

Hodie octoginta quinque annorum ſum, ſic valens, ut eo valebam tempore, quando ad explorandum miſſus ſum: illius in me temporis fortitudo uſque hodie perſeverat. *Joſue 14. 10. Vide* Eccli. 46. 11

*Samſon leonem manibus inermis laceravit: & alia opera fortitudinis multa fecit. Judic. cap. 14.* Cap. 15. 16. &c.

Non in fortitudine ſua (*ſed Dei*) roboravit vir. *1. Reg. 2. 9*

*David in pueritia ſua fortiter ſuperavit & urſum, & leonem, Goliath Philiſtæum. Ibid. 17. 34. Vide &* Eccli. 47. 3

Confortamini, & agite diligenter, & erit Dominus vobiſcum in bonis. *2. Paral. 19. 11*

Expecta Dominum, viriliter age: & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum. *Pſal. 26. 14*

Domus juſti plurima fortitudo: & in fructibus impii conturbatio. *Prov. 15. 6*

Mulierem fortem quis inveniet? *Ibid. 31. 10*

Et dicebam ego, meliorem eſſe ſapientiam fortitudine. *Eccleſ. 9. 16*

Factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione ſua. *Iſa. 25. 4*

Dicite puſillanimis: Confortamini, & nolite timere: Ecce Deus veſter ultionem adducet retributionis: Deus ipſe veniet, & ſalvabit vos. *Ibid. 35. 4*

Conſurge, conſurge, induere fortitudine tua Sion. *Ibid. 52. 1*

*Miram fortitudinem habuerunt Mathathias & filii ejus, quia ita reſtiterunt Antiocho regi & prævaluerunt toties contra eum. 1. Mach. 2. &c.*

*Eleazar cucurrit audacter ad elephantem & ſuperpoſuit ſe ei, & occidit eum, &c. Ibid. 6. 45*

*Dixit Eleazar:* Fortiter vita excedendo, ſenectute quidem dignus apparebo: adoleſcentibus autem exemplum forte relinquam, ſi prompto animo ac fortiter, pro graviſſimis ac ſanctiſſimis legibus, honeſta morte perfungar. *2. Mach. 6. 28.*

Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea, quæ poſſidet. *Luc. 11. 21*

In omnibus tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur: aporiamur, ſed non deſtituimur: perſecutionem patimur, ſed non derelinquimur, &c. *2. Cor. 4. 8*

*Fortitudo bona Deum quærit.*

D*Ixit Angelus ad Jacob:* Quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti, quanto magis contra homines prævalebis? *Gen. 32. 28*

Fortitudo mea, & laus mea Dominus. *Exod. 15. 2*

Vos ergo confortamini, & non diſſolvantur manus veſtræ: erit enim merces operi veſtro. *2. Paral. 15. 7*



Oculi

Oculi enim Domini contemplantur univerſam terram, & præbent fortitudinem his, qui corde perfecto credunt in eum. *2. Paral. 16. 9*

Gaudium etenim Domini eſt fortitudo veſtra. *Nehem. 8. 10*

Viriliter agite, & confortetur cor veſtrum: omnes qui ſperatis in Domino. *Pſal. 30. 25*

Fortitudinem meam ad te cuſtodiam: quia Deus ſuſceptor meus es. *Ibid. 58. 10*

Mirabilis Deus in ſanctis ſuis, Deus Iſrael ipſe dabit virtutem & fortitudinem plebi ſuæ, benedictus Deus. *Ibid. 67. 36.*

Mea eſt prudentia, mea eſt fortitudo (*non tua.*) *Prov. 8. 14*

In timore Domini fiducia fortitudinis. *Ibid. 14. 26*

Turris fortiſſima nomen Domini: ad ipſum currit juſtus, & exaltabitur. *Ibid. 18. 10*

Et dedit Dominus ipſi Caleb fortitudinem, & uſque in ſenectutem permanſit illi virtus, ut aſcenderet in excelſum terræ locum ... ut viderent omnes filii Iſrael, quia bonum eſt obſequi ſancto Deo. *Eccli. 46. 11*

*David* Cum leonibus luſit, quaſi cum agnis: & in urſis ſimiliter fecit ſicut in agnis ovium, in juventute ſua. Numquid non occidit Gigantem, & abſtulit opprobrium de gente? ... Nam invocavit Dominum omnipontentem, &c. *Ibid. 47. 3.* 1. Reg. 17

Quia fortitudo mea, & laus mea Dominus: & factus eſt mihi in ſalutem. *Iſa. 11. 2. Pſ. 117. 14*

Quia factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione ſua: ſpes a turbine, umbraculum ab æſtu. *Ibid. 25. 4*

In ſilentio, & in ſpe erit fortitudo veſtra. *Ibid. 30. 15*

Qui dat laſſo virtutem: & in his, qui non ſunt, fortitudinem & robur multiplicat. *Ibid. 40. 29*

Qui autem ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient. *Ibid. v. 31*

Et Deus meus factus eſt fortitudo mea. *Ibid. 49. 5*

Viriliter agite, & confortamini (*in Domino.*) *1. Cor. 16. 13*

De cetero, Fratres, confortamini in Domino, & in potentia virtutis ejus. *Epheſ. 6. 10*

Scio ... & ſatiari, & eſurire, & abundare & penuriam pati. Omnia poſſum in eo, qui me confortat. *Philip. 4. 12*

Tu ergo fili mi, confortare in gratia, quæ eſt in Chriſto Jeſu. *2. Tim. 2. 1*

In Chriſto Jeſu, modicum paſſos ipſe perficiet, confirmabit, ſolidabitque. *1 Pet. 5. 10*

*Vitia ſubjicit.*

ET tenebit juſtus viam ſuam, & mundus manibus addet fortitudinem. *Job 17. 9*

Fortitudo ſimplicis via Domini: pavor his, qui operantur malum. *Prov. 10. 29*

Si deſperaveris laſſus in die anguſtiæ: imminuetur fortitudo tua. *Ibid. 24. 10*

Vigilate, ſtate in fide, viriliter agite, & confortamini. Omnia veſtra in caritate fiant. *1. Cor. 16. 13*

Nondum enim uſque ad ſanguinem reſtitiſtis, adverſus peccatum repugnantes: & obliti eſtis conſolationis, quæ vobis tamquam filiis loquitur. *Hebr. 12. 4*

*Hoſti reſiſtit.*

FUgit impius, nemine perſequente: juſtus autem quaſi leo confidens, abſque terrore erit. *Prov. 28. 1*

Noli timere, quia redemi te, & vocavi te nomine tuo: meus es tu. Cum tranſieris per aquas tecum ero, & flumina non operient te: cum ambulaveris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te. Quia ego Dominus Deus tuus, ſanctus Iſrael Salvator tuus. *Iſa. 43. 1*

Si Deus pro nobis, quis contra nos? *Rom. 8. 32*

De cetero, fratres confortamini in Domino, & in potentia virtutis ejus, &c. *Epheſ. 6. 10.*

Scribo vobis adoleſcentes: quoniam viciſtis malignum ... Scribo vobis juvenes, quoniam fortes eſtis, & verbum Dei manet in vobis, & viciſtis malignum. *1. Joan. 2. 13*

*Fortitudo reproba & mala Deum offendit.*

CAin fuit fortior quam Abel, quando conſurrexit adverſus eum & interfecit eum. *Gen. 4. 8*

*Multis & magnis periculis & laboribus Saul ſe expoſuit ad perſequendum David, & numquam propoſitum potuit obtinere. 1. Reg. 18. ſeq.*

Tetendit enim adverſus Deum manum ſuam, & contra omnipotentem roboratus eſt. Cucurrit adverſus eum erecto collo, & pingui cervice armatus eſt, &c. *Job 15. 25*

Melior eſt ſapientia quam vires: & vir prudens quam fortis. *Sap. 6. 1.* Eccleſ. *9. 18*

Et erit fortitudo veſtra ut favilla ſtuppæ, & opus veſtrum quaſi ſcintilla: & ſuccendetur utrumque ſimul, & non erit qui extinguat. *Iſa. 1. 31*

*Fortitudo Mulierum. Vide Mulierum fortitudo.*

## TITULUS XXIII.

*Fraternitas.*

FRater, qui adjuvatur a fratre, quaſi civitas firma: & judicia quaſi vectes urbium. *Prov. 18. 19*

Fratres in adjutorium in tempore tribulationis, & ſuper eos miſericordia liberabit. *Eccli. 40. 24*

Num-



Numquid non pater unus omnium noſtrum? Numquid non Deus unus creavit nos? Quare ergo deſpicit unuſquiſque noſtrum fratrem ſuum, violans pactum patrum noſtrorum? *Malach. 2. 10*

Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt: ipſe meus frater, ſoror, & mater eſt. *Matt. 12. 50*

Omnes autem vos fratres eſtis. *Ibid. 23. 8*

Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, Auctorem ſalutis eorum per paſſionem conſummare. *Hebr. 2. 10*

*Fratres & ſorores Chriſti qui ſunt.*

ET extendens (*Jeſus*) manum in diſcipulos ſuos, dixit: Ecce mater mea, & fratres mei. Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt: ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt. *Matth. 12. 49. Idem habetur verbatim* Marc. 3. 34

Nolite timere: ite, nuntiate fratribus meis ut eant in Galilæam, ibi me videbunt. *Ib. 28. 10*

Et nuntiatum eſt illi: Mater tua & fratres tui ſtant foris, volentes te videre. Qui reſpondens, dixit ad eos: Mater mea & fratres mei hi ſunt, qui verbum Dei audiunt & faciunt. *Luc. 8. 20*

Dicit ei (*Mariæ*) Jeſus: Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad patrem meum: vade autem ad fratres meos, & dic eis. *Joan. 20. 17*

Nuntiabo nomen tuum fratribus meis: in medio Eccleſiæ laudabo te. *Hebr. 2. 12. Idem habetur* Pſal. 21. 23. *verbatim.*

*Fraus. Vide Dolus.*

*Fruitio Dei. Vide deſiderium præmii & fruitionis Dei.*

## TITULUS XXIV.

*Fructus operis boni. Vide & Opus bonum.*

BOnorum enim laborum glorioſus eſt fructus. *Sap. 3. 15*

Itaque fratres mei & vos mortificati eſtis legi per Corpus Chriſti: ut ſitis alterius, qui ex mortuis reſurrexit, ut fructificemus Deo. *Rom. 7. 4*

Fructus autem Spiritus eſt: caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas. *Galat. 5. 22*

Fructus enim lucis eſt in omni bonitate, & juſtitia, & veritate. *Epheſ. 5. 9*

In omni opere bono fructificantes. *Coloſſ. 1. 10*

Fructus autem juſtitiæ, in pace ſeminatur, facientibus pacem. *Jac. 3. 18*

*Malus.*

FRuctus illorum inutiles, & acerbi ad manducandum, & ad nihilum apti. *Sap. 4. 5*

Confundemini a fructibus veſtris, propter iram furoris Domini. *Jerem. 12. 13*

Quem ergo fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis? *Rom. 6. 21*

## TITULUS XXV.

*Fundamentum Eccleſiæ.*

*Fundamentum eſt Chriſtus.*

FUndamentum enim aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus. Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fenum, ſtipulam, uniuſcujuſque opus manifeſtum erit: Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur: & uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probabit. *1. Cor. 3. 11*

Ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu. *Epheſ. 2. 20*

Ecce pono in Sion lapidem ſummum angularem, electum, pretioſum: & qui crediderit in eum, non confundetur. *1. Petr. 2. 6. Vide totum Cap. &* Iſa. 28. 16. Rom. 9. 33. Pſal. 117. 22. Matt. 21. 42. Actor. 4. 21

*Fundamentum ſunt Apoſtoli.*

JAm non eſtis hoſpites & advenæ: ſed eſtis cives Sanctorum, & domeſtici Dei, ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu: in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino, in quo & vos coædificamini, in habitaculum Dei in Spiritu. *Epheſ. 2. 19.*

Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, & in ipſis duodecim nomina duodecim Apoſtolorum Agni. *Apoc. 21. 14*

*Et peculiariter Petrus dicitur fundamentum.*

ET ego dico tibi quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Et tibi dabo claves regni cælorum. Et quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis. *Matt. 16. 18*



Cum